1071

liebe

alle

CHRIST. GVIL. FRANC.
WALCHII

PHILOS. PROF. PVBLIC. ET SOCIET. LAT.
IENENS. EPHORI

HISTORIA
PATRIARCHARVM
IVDAEORVM
QVORVM IN LIBRIS IVRIS ROMANI FIT MENTIO.

IENAE,
SVMTIBVS GVTHIANIS
M DCC LII.

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

SIGISM. EHRENFRIED

DE **OPPEL**

PRAEDIA HEREDITARIA WEL-
LERSWALDENSE ET GOSDENSE TENENTI
CONCILII SANCTIORIS SERENISSIMI DVCIS
SAXONIAE GOTHANI ATQVE ALTENBVRGENSIS
PRAESIDI NEC NON AERARII PVBLICI
DIRECTORI SVPREMO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

HOC

PIETATIS ATQVE OBSEQVII
MONIMENTVM

QVA DECET REVERENTIA
CONSECRAT

CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIVS.

OMNIVM temporum consensu expeditum & optime moratarum gentium vsu confirmatum est, nullum officium tam sanctum ac liberalium disciplinarum dignitati tam esse adcommodatum; quam vt earum cultores viris summis, quibus præter reipublicæ curam, musarum quoque decus conseruandi defendendique, munus

traditum tributumque est, publice testentur pietatem & obsequium iisque, ad reddendam diligentiae rationem, si quae in lucem emittunt, solemni formula consecrent monimenta. Atqui quum diuino plane consilio TVAE curae fideique hoc creditum est, vt litterae politiores earumque officina, Ienensis academia, in TVO quasi praesidio collocatae, ab omni periculo tutae, perpetuo floreant, enitendum mihi & elaborandum esse duxi, vt optima, quae com-

memo-

memoraui, exempla consectarer ac summæ reuerentiæ, qua TE prosequor, ante omnium oculos statuerem documentum.

INNVMERIS sane beneficiis TIBI adhuc musas deuinxisti & a serenissimo celsissimoque FRIDERICO in altissimo honoris gradu collocatus, ad tuendum ornandumque nostrum diuinæ humanæque sapientiæ domicilium, tamquam decus & lumen Saxoniæ, tantam contulisti operam, vt litterata hæc ci-

uitas & ingeniis adfluat & liberalibus ſtudiis atque omnis doctrinæ copia abundet. Neque vllum vmquam, credo, rerum, noſtra ætate geſtarum, tam expertem tamque imperitum; aut tam maleuolum futurum eſſe laudumque illius tam inuidum, vt quam tempeſtiue prouideas, ne quid damni capiat, quantamque curam ad confirmandum amplificandumque priſtinum illius ſplendorem adhibeas, aut ignoret; aut vltro fateri, recuſet. Quarè non mirum

rum eſt, quod quamuis maxima bonorum omnium in collaudanda TVA, VIR PERILLVSTRIS, clementia TVIsque in rempublicam immortalibus meritis & diuinis, ſtabiliendi nobis felicitatem, ſtudiis prædicandis ſit conſpiratio; nemo tamen in exprimenda animi TVI magnitudine aliorum exſpectationi & ſuæ ſatisfecerit voluntati.

HIS ergo rebus permotus, eo magis leuem hunc ingenii mei fetum PERILLV-

STRI nomini TVO inſcribendum eſſe, putaui, quo maiora me quoque TIBI debere, cognoui, peropportunam ſic nacturus occaſionem, non a crimine, quod longiſſime a me abeſt; ſed a ſuſpicione mentis ingratæ & beneficiorum, quibus me liberaliter adfeciſti, immemoris me liberandi. Mitto ad TE, VIR PERILLVSTRIS, illuſtres clariſſimosque, vt auguſtorum Romanorum imperatorum verbis vtar, Iudæorum patriarchas, ſubmiſſi ac gloriæ TVAE addi-

ctiſſimi mei animi teſtes & interpretes; neque inanem in TVA, mihi perſpectiſſima, erga litteras propenſa voluntate habeo ſpem, fore, vt facile ſibi ad TE comparent aditum TVAEque aures illis, me meaque ſtudia TVAE clementiæ commendantibus, pateant.

QVOD omnes mecum exoptant, vt & locum, quem ſumma integritate ac ſumma gloria conſequutus es, patriæ & noſtra omnium cauſſa tenere feliciter & tueri conſtanter ſaluus

ſem-

ſemper & incolumis poſſis; & PERILLVSTRIS TVA domus laudis perinde; ac fortunarum acceſſionibus inpoſterum augeageatur, deum immortalem obſecro & veneror. In academia Ienenſi, d. xx. mart. ann. quam in priſtinum locum reſtituta fuit diuina gratia

MDCCLII.

LECTORI BENEVOLO

S.

Est genus hominum, qui rerum Iudaicarum ſtudia non ſolum a ſumma liberalium diſciplinarum laude longe abeſſe, cenſent; ſed etiam illa contemnunt & pro nihilo ducunt; aut ſaltem illis putant relinquenda eſſe, quibus Ebrææ linguæ, in noſtris muſarum domiciliis docendæ, impoſita eſt neceſſitas. Quum enim propter linguarum, quas oriens coluit olim & perfecit, ignorationem nullam ex legendis tractandisque talmudicorum rabbinicorumque ſcriptorum, qui apud illos barbarorum loco numeroque ſunt, monimentis percipiunt lætitiam & voluptatem, facile perſuadere ſibi ſumunt, in eo Iudæorum res geſtas a ceterarum gentium hiſtoria differre, vt quanta huius eſt iucunditas vtilitasque, tanta illarum ſit difficultas, aſperitas atque inutilitas. His ergo capti erroribus, viri eruditiſſimi, qui in omni fere hiſtoriarum genere præclare verſati & maximam conſequuti ſunt ingenii & diligentiæ gloriam, ea, quæ de Iudæis in veterum annalibus tradita ſunt,

plane

plane neglexerunt; nec cogitarunt, quantum ad illustranda reliquorum populorum monimenta &, quod caput rei est, ad cognoscendam dei prouidentiam illa valeant.

ACCEDIT, quod præstantissimi litterarum, quæ ab oriente nomen tulerunt, statores & vindices satis habuerunt, vel de linguæ Ebrææ rationibus præcipere; vel Iudæorum instituta & mores, religiosos maxime cultus, explicare; vel reipublicæ formam describere sicque nonnisi fortunatissimorum gentis illius temporum excutere memoriam; vel celebriores eius enumerare doctores; atuero res ciuiles, christi ætate inferiores, communi præterierunt silentio. Quo factum est, vt ea, quæ a Romanis; aut aliis exteris historicis de his sæpenumero traduntur, obscura circumfusa sint caligine ac multa posterorum industriæ relicta, quæ luce egent; nec, si vera fateri libet, indigna sunt.

HVIVS generis esse censui *patriarcharum Iudæorum* nomen, cuius frequens; nec raro honorifica facta est cum in christianorum doctorum libris; tum in vtro-

vtroque Romani iuris codice mentio. Etenim quamuis non defuerint longe doctissimi viri, qui in eo exponendo omnem collocarent operam, atque in his IAC. GOTHOFREDVS, SAM. PETITVS, CAMP. VITRINGA, IAC. RHENFERDIVS, IO. MORINVS, PETR. ZORNIVS &, qui singularem de patriarchis conscripsit dissertationem, IO. FRID. MAYERVS multa de illis docte & eleganter disputauerint; certum tamen est & euidens, illos maximam partem parum ad veritatem accessisse, propterea quod alii Iudaicos annales; alii veterum Romanorum imperatorum edicta ac scriptorum christianorum testimonia inspicere; vtrique vero domesticorum & externorum hominum narrationes coniungere & coniunctas in vsus suos conuertere, omiserunt. Quare facile ad id adductus sum, vt integrum hoc argumentum sumerem quasi retractandum: singula, quae de illis in vtriusque antiquitatis monimentis longe lateque dispersa sunt, testimonia diligentius in vnum locum congererem, explicarem, illustrarem, hosque, quos TIBI, lector beneuole, exhibeo, de patriarchis Iudaeorum conficerem commentarios. Non sum tam insolenti animo, vt me solum

tan-

tantis viris, qui antea in eadem re elaborarunt, aut doctiorem; aut ſapientiorem eſſe, iudicem; nec tam ingratus, vt eorum opera viam, quam ingreſſus ſum, munitam & ad feliciores progreſſiones adcommodatam fuiſſe, diſſimulem; tamen ſine oſtentationis ſuſpicione mihi id tribuere videor, nonnulla a me copioſius dicta: alia, ante incognita, ex annalium vetuſtate eruta: alia denique eſſe rectius explicita. Ita vale meque tuo fauori porro habe commendatum.

Ienæ, d. XXIV. mart. ann. a ſalutari virginis partu MDCCLII.

HISTORIA PATRIARCHARVM IVDAEORVM QVORVM IN LIBRIS IVRIS ROMANI FIT MENTIO.

CAPVT PRIMVM

DE

LEGIBVS IMPERATORVM ROMANORVM,

QVIBVS

PATRIARCHARVM IVDAEORVM FIT MENTIO.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Ϲ

Expoſita inſtituti ratione §. I.

Primum de legibus, *libr.* XVI. *tit.* 8. *cod. Theod.* comprehenſis, eiusque inſcriptione: *de Iudæis, cælicolis & Samaritanis* agitur, §. II.

Deinde ipſæ recitantur leges, quæ huc ſpectant: Conſtantini magni §. III. IV.

Theodoſii magni eiusque filiorum, Arca-

dii & Honorii §. V - IX. Theodosii II. & Valentiniani II. §. X. *Denique* de fide harum legum historica, quanta illis in rebus Iudaicis sit tribuenda, disputatur §. XI.

§. I.

Quum de patriarchis Iudaeorum, quorum caussa augusti Romanorum imperatores varias easque omni recordatione dignas tulerunt leges, ad nostram aetatem feliciori fato transmissas, fusius disceptare, decreui, ante omnia recitandi commemorata edicta principum iisque, si qua egent, ex historiarum monimentis lucem adferendi, necessitatem impositam mihi esse, sentio. Neminem sane huius litterarum generis tam ignarum & imperitum esse, credo, vt, quis leges fecerit: quo tempore, quoue loco, quibus denique ex caussis illae datae fuerint, nihil referre, sibi persuadeat. Breuiter vero ea omnia, quae meo instituto inseruiunt, a me dici, huius commentationis leges iubent, ne sine ratione contra id, quod nimium est, peccare, videar.

§. II.

Varia in vtroque legum Romanorum codice, Theodosiano & Iustinianeo,

neo, exſtant de Iudæis, Romani imperi ciuibus, imperatorum mandata, quæ quum THEODOSIVS II. primum collegiſſet, ea ſingulari eoque *octauo libri* XVI. codicis Theodoſiani titulo coniunctim exhibuit huncque ita inſcripſit: *de Iudæis, cælicolis & Samaritanis.* Ex hoc fonte ſua hauſit IVSTINIANVS ac translatis in nouum legum corpus * plerisque hisce de Iudæis edictis, ſeruauit etiam hoc tituli nomen: *de Iudæis & cælicolis.* ** Quare nullum eſt dubium, quin de Iudæis, in variis imperii Romani prouinciis degentibus, leges illæ capiendæ ſint. Cælicolas Iudæis adiungunt inſcriptiones, de quibus multæ ac grauiſſimæ inter viros doctos exſtiterunt diſſenſiones. Certum tamen eſt, Iudæos a cælicolis diſtingui; nec fieri poteſt, vt ipſos Iudæos nouo hoc nomine ab auguſtis imperatoribus deſignari, mihi perſuadeam. Quamuis enim lubens fatear, Iudæos idolorum cultoribus, inprimis Romanis, eo nomine ſuſpe-

* *libr.* I. *cod. Iuſtin. tit.* IX.

** omiſſæ enim ſunt *leg.* 16. & 28. *cod. Th. de Iudæis*, quæ ad Samaritanos ſpectant.

ctos fuisse, *** quod coelum creatum superstitioso cultu prosequerentur; manifestum tamen est, caelicolas illos, quos Honorius & Theodosius *nescio cuius dogmatis noui* insimulant: * quorum *nouam & inusitatam audaciam* iidem commemorant, ** & de quibus alibi scribunt: *caelicolarum nomen inauditum quodammodo nouum crimen superstitionis vindicauit*: *** quorum porro *maiorem*, *noui baptismi institutorem instituisse*, AVGVSTI-

NVS

*** de calumnia gentilium, Iudaeos adorare coelum, eiusque caussis praeter doctissimos de caelicolis scriptores, infra a me laudandos, legas: CAMP. VITRINGAM de *synagog. vet. libr.* I. *part.* I. *cap.* 12. p. 229. ANDR. BEYERVM in *additam. ad Seldeni de diis Syris syntagm.* II. *cap.* 17. p. 371. PETR. CVNAEVM eiusque interpretem IOANN. NICOLAI de *rep. Ebraeor. libr.* III. *cap.* 6. p. 892. sqq. edit. BL. VGOLINI *tom.* III. *thes. antiqu. sacr.* IOANN. FRANC. BVDDEVM *histor. eccles. vet. test. period. II. sect. I. §. 31. tom.* I. p. 541. IOANN. IAC. HVLDRICVM in *gentili obtrectatore, siue de calumniis gentilium in Iudaeos commentatione*, quae Turici ann. MDCCXLIV. lucem vidit, *cap.* IV. & IO. IAC. SCHVDTIVM in *compend. hist. Iudaic.* p. 208. sqq.

* *leg.* 43. *cod. Theod. de haeret.*

** *leg.* 44. *cod. Th. tit. cit.*

*** *leg.* 19. *cod. Theod. de Iudaeis.*

NVS *tradidit, hos, inquam, cælicolas a Iudæorum gente, in conſeruandis maiorum inſtitutis & iamdum antiquis ſuperſtitionibus admodum pertinace, diuerſos fuiſſe. Certe quidem definire, non auſim, quale fuerit nefarium illud ac ſceleratum hominum genus; nec diſputationis meæ rationes, vt id definiam, a me efflagitant; eo enim conſilio hæc a me adlata ſunt, ne confunderentur inuicem cælicolarum & Iudæorum patriarchæ, quorum illos nonnulli viri doctiſſimi, luculento ſcribendi vitio decepti, finxerunt. Nihilominus non poſſum non confiteri, mihi admodum veroſimile videri, cælicolas iſto tempore dogmata quædam ſacrasque chriſtianorum cærimonias cum Iudæorum placitis ac religionibus impie voluiſſe coniungere hincque haud inepte, ſingularem eorum fuiſſe hæreſin, adfirmari. Conſulantur, qui copioſius de his diſceptarunt: NIC. SERARIVS, **IOS. SCALIGER, *** SAM.

* *epiſtol.* CLXIII. ſiue ex ſententia Benedictinorum XLIV. §. 13. *tom.* II. *oper.* p. 80.

** *tribæreſ. libr.* I. *cap.* 4. p. 6. edit. TRIGLANDI *ſynt. de Iud. ſect.*

*** *elench. tribæreſ. cap.* 31. p. 494. edit. TRIGLANDI *cit. loc.*

SAM. PETITVS, **** MATTH. WESENBECIVS, * IAC. GOTHOFREDVS, ** FRID. SPANHEMIVS, *** CHRISTIANVS KORTHOLTVS, * IO. SELDENVS, ** IOSEPHVS BINGHAMVS, *** IO. FRANC. BVDDEVS * &, qui eorum princeps est, IOANN. ANDREAS SCHMIDIVS. **

§. III.

Prima ergo omniumque, quibus de patriarchis praeceptum est, antiquissima haec est lex Constantini magni: *imp. Constantinus A. ad Euagrium: Iudaeis & maioribus eorum & patriarchis volumus intimari, quod si qui post hanc legem, aliquem, qui eorum fugerit sectam & ad dei cultum respexerit, saxis; aut alio furoris genere, quod*

**** *var. lect. libr.* II. *cap.* 12. p. 169. sqq.
* *paratitl. ad cod. tit. de Iudaeis* §. 5.
** *comment. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 258. edit. RITTERI.
*** *tom.* I. *oper.* p. 1052. sqq.
* *pagan. obtrectat. libr.* II. *cap.* 2. p. 273.
** de *iure nat. & gent. libr.* II. *cap.* 1. p. 132.
*** *origin. eccles. vol.* VII. p. 271.
* *hist. eccles. vet. test. tom.* I. p. 542.
** *histor. caelicolarum*, Helmstad. ann. MDCCIV. in lucem emissa: adde IAC. BASNAGIVM. in *histoir. des Juifs tom.* IV. p. 1307. sqq.

quod nunc fieri cognouimus, ausus fuerit adtemptare, mox flammis dedendus est & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit & conciliabulis eorum se adplicauerit; cum ipsis pœnas meritas sustinebit Dat. XV. Kal. Nou. Murgillo. Constantino A. IV. *& Licinio* IV. *coss.* Ita exhibet hoc Constantini edictum THEODOSIVS; * in codice autem IVSTINIANI ** non solum posterior eius pars, contra miseros illos homines, qui ad Iudæorum castra transierunt, lata, fuit omissa; sed etiam voci *Iudæis* hæc verba: *& cælicolis* adiecta sunt. Satis tamen a doctis viris comprobatum est, spuria illa esse atque contra æui Constantini instituta pugnare, quamuis dubium sit, num TRIBONIANI errore; an scribarum recentiorum culpa hæc legis deprauatio facta sit. Obseruauit id præter alios vir summus, IAC. GOTHOFREDVS. *** ac iure BARONIVM confutauit, qui ex ea confici, putauit, *maiores* cælicolarum; *patriarchas* autem Iudæorum magistratus fuisse: adde

* *leg.* 1. *cod. Theod. de Iudæis* p. 237.

** *leg.* 3. *cod. de Iudæis.*

*** *comm. ad leg.* 19. *cod. Th. de Iud.* p. 258.

IO. ANDR. SCHMIDIVM. * Ipſa augusti imperatoris lex admirandum posteritati exhibet documentum laudabilis eius curæ, in tuenda ſanctiſſima, cui nomen dederat, religione ac defendendis ab omni iniuria christi ſectatoribus collocatæ. Quæ quum ipſi ſemper antiquiſſima eſſet; ita non fieri potuit, quin petulantiam Iudæorum ſummamque eorum libidinem, christianos quauis iniuria adficiendi, reprimendam eſſe, cenſeret ** atque inprimis eos in tutelam reciperet, qui benigniore dei prouidentia ad veritatis euangelicæ cognitionem peruenerant. Iudæos omni fere tempore effrenato furore contra eos ſæuiiſſe, qui ſuperſtitioſas illorum cærimonias, diuina rectioris doctrinæ luce colluſtrati, deſerebant, neminem fugit; neque id mirum eſt, eo maiorem illorum Conſtantini æuo fuiſſe audaciam, quo benigniores erga ipſos adhuc experti erant imperatores,

* *cit. loc.* §. III.

** præter legem noſtram, teſtatur hac de re l. 5. *cod. Th. de Iudæis*: adde FRANC. BALDVINVM in *Conſtantin. magno libr.* I. p. 8.

res, idolorum cultui addictos. *** Quæ si quis recte cogitauerit, facile intelliget, haud vanam; nec veritatis specie destitutam esse CAESARIS BARONII * &, qui eum sequuti sunt, IAC. GOTHOFREDI, ** SAM. BASNAGII *** alio-

*** non est, quod hoc loco fusius de Iudæorum odio disseram, quo omni tempore eos, qui christianorum susceperunt sacra ac Iudæorum religionibus nuntium miserunt, incredibili crudelitate persequuti sunt; nec defuerunt viri docti, qui in explicando hoc argumento ingenia exercerent. Adeant ergo lectores inprimis IOANN. SELDENVM de *iur. natur. & gent. iuxta disciplin. ebræor. libr.* VI. *cap.* 4. IO. ANDR. EISENMENGERVM in *dem endeckten Iudenthum tom.* II. p. 1029. CHRISTIAN. KORTHOLTVM *diss. de christo crucifixo, Iudæis scandalo*, Kil. ann. MDCLXXXVI. in lucem emissa: GEORG. GVIL. OVERKAMPFIVM *diss. de Iudæis, primariis Christiani nominis hostibus*, Ienæ MDCCXXXVI. aliosque, laudatos a IO. ALB. FABRICIO in *salutar. luc. euangel. cap.* VI. p. 120. sqq. IO. CHRSTOPH. WOLFIO *biblioth. ebr. vol.* II. p. 1103. & 1058. & viro consultissimo, GOTTFR. DAN. HOFFMANNO *tr. de aduocat. imperator. Iudaica* p. 5.

* *annal. eccles. tom.* III. p. 423.

** *dict. loc.* p. 238.

*** *annal. politico-eccles. tom.* I. p. 658

aliorumque coniecturam, qui ex EPIPHANII *, de Iosepho quodam, qui ex Iudæorum castris ad nostra transiit grauissimisque conuiciis, iniuriis, verberibus, flagellis: immo lapidibus a Iudæis petitus fuit, loco legi nostræ insignem lucem ad tulerunt. Lata illa fuit *Constantino A. IV. & Licinio IV. coss.* Hac in re consentiunt THEODOSIVS & TRIBONIANVS; nec sine caussa erroris grauissimi insimulatus fuit a doctis viris CAESAR BARONIVS, ** quod veræ surrogauerit falsam hanc subscriptionem: *dat. XV. kal. nou. Constantinopoli, Constantino A. VIII. & Constantio VI. coss.* Annum consularem, quem verum esse, credimus, respondere anno christiano CCCXV. satis expeditum est: conf. PETR. RELANDVM *** & ANTON. PAGIVM. * *Mugillum* haud diuersum esse a *Mursella*, Pannoniæ superioris oppido, ab ANTONINO

* de *hæres. tom.* I. *oper.* p. 135. edit. PETAVII. Ex hoc fonte sua hauserunt IAC. BASNAGIVS in *histoir. des Juifs libr. tom.* IV. p. 1232. & LVDOV. HOLBERGIVS *in der iudischen Historie tom.* II. p. 547.

** *annal. eccles. tom.* III. p. 423.

*** *fast. consular.* p. 296.

* *critic. in annal. Baron. tom.* I. p. 378.

NO augusto ** commemorato, æque ac a Mursa minore, cuius in *itinerario Hierosolymitano* facta est mentio, *** censuit IAC. GOTHOFREDVS; * sed contradixit ipsi vir celeberimus, PETR. WESSELINGIVS ** ac, sine ratione diuersa oppida inter se misceri, ostendit. Difficilior est quæstio, quam vt certis rationibus definiri queat, quale *Murgillum* nostrum sit. Hæc sufficiant de lege prima.

§. IV.

Secundam legem, quæ Iudæis magis fauet, ab eodem Constantino imperatore datam & ad Ablauium, præfectum prætorio, scriptam, solus exhibet THEODOSIVS. * Hæc eius sunt verba: *qui deuotione tota synagogis Iudæorum,*

** *itiner.* p. 262.

*** p. 505.

* *not. ad chronol. codic. Theod. tom.* I. p. XI. XII.

** *not. ad Antonin. itiner.* p. 262.

* Lex hæc *secunda* est *citati tituli cod. Th.* Recte alii monuerunt, quum alioqui temporis ordo in colligendis legibus a THEODOSIO esset obseruatus, huic legi perperam secundum; tertiæ tertium locum adsignatum esse. Oportuisset & tertiam in secundum: secundam in tertium locum poni.

rum, patriarchis; vel presbyteris se dederunt & in memorata secta degentes legi ipsi praesident, immunes ab omnibus tam personalibus; quam ciuilibus muneribus perseuerent, ita vt illi, qui forsitan decuriones sunt, nequaquam ad prosequutiones aliquas destinentur, quum oporteat istiusmodi homines a locis, in quibus sunt, nulla compelli ratione discedere. Hi autem, qui minime curiales sunt, perpetua decurionatus immunitate potiantur. Dat. III. kal. decembr. Constantinop. Gallicano & Symmacho coss. Quamuis multa elegantissimaque argumenta hoc edicto contineantur, quae luce egent; scriptionis tamen huius rationes non ferunt, copiose de his disputare. Breuiter itaque ea notabimus, quae ad historiam eius faciunt nostraeque de patriarchis disceptationi inseruiunt. Insigne humanitatis, benignitatis & comitatis, qua Constantinus Iudaeos, vbi recte viuerent, prosequutus est, monimentum id nobis praebet: quae dum aliis legibus ** abunde confirmatur; tum non satis miramur, viros doctos sibi persuasisse, tantum tamque acerbum fuisse Constantini in Iudaeos odium, vt vel nullis beneficiis eos ornauerit.

** *leg. 3. & 4. cod. Th. de Iudaeis.*

rit. *** Consulatum Gallicani & Symmachi quum ad annum post virginis partum CCCXXX. referant fasti * consulares, multa inde colligendi, occasionem suppeditant, quae huic loco adprime conueniunt. Trigesimo enim anno quarti seculi sub initium maii mensis Constantinopolis, cuius fundamenta ann. CCCXXVIII. iacta fuerunt, solemni encaeniorum ritu dedicata fuit, quod HENR. NORISIVS, ** ANT. PAGIVS, *** SAM. BASNAGIVS *Flottemanuillaeus* * firmis argumentis ac confutatis secus sentientium erroribus, demonstrarunt. Patet itaque, omnino hanc legem Constantinopoli dari potuisse: immo omnium, quae ad nos transmissae sunt, in illa vrbe factarum, esse primam. Nec longe a veritate recedit

*** conf. IAC. RHENFERDIVM de *decem. otiosis diss.* II. *cap.* 3. p. 182. & IAC. BASNAGIVM *histoir. des Juifs tom.* IV. p. 1232. adde EZECH. SPANHEMIVM de *orbe Rom.* p. 100.

* consule PETR. RELANDVM *fast. consul.* p. 329.

** in *oper. tom.* IV. p. 667.

*** *critic. in annal. Baron. ann.* CCCXXX. *tom.* I. p. 425.

* *annal. politico-eccles. tom.* II. p. 742.

cedit coniectura illustris viri, IO. DAN. RITTERI, ** quum eodem anno quinquennalia celebrauerit imperator atque in more cæsarum fuerit positum, vt iis annis priuilegia concederent, commode mandatum nostrum inde illustrari posse.

§. V.

Tertiæ legis, quæ huc spectat, auctores fuerunt Theodosius I. eiusque filii, Arcadius & Honorius, in societatem imperii adsciti. Benigniorem illa de Iudæis exhibet sententiam, his verbis expressa: * *Iudæorum querelæ, quosdam auctoritate iudicum recipi in sectam suam, reclamantibus legis suæ primatibus, adseuerant, quos ipsi iudicio suo ac voluntate proiiciunt. Quam omnino submoueri iubemus iniuriam; nec eorum in ea superstitione sedulus cætus aut per vim iudicum; aut rescripti subreptione, inuitis primatibus suis, quos virorum clarissimorum & inlustrium patriarcharum arbitrio manifestum est, habere suam de religione sententiam, opem reconciliationis mereantur indebitæ. Dat. XV. kal.*

** *not. ad* h. l. p. 240.

* *leg. 8. cod. Th. de Iudæis.* Hæc lex itidem in IVSTINIANI codice omissa fuit.

kal. Mai. Constantin. Arcadio A. II. & Rufino coss. Scripta ea est ad Tatianum, virum variis honoris & dignitatis titulis muneribusque conspicuum, quem circa hoc temporis spatium præfectum prætorio orientis fuisse, satis certum est; ** nec dubitari potest, consulatum Arcadii secundum & Rufini ad annum post reparatam generis humani salutem CCCXCII. esse referendum. *** Grauis inde nascitur ac difficilis quæstio, quid sit, quod Valentiniani, imperatoris ac Theodosii socii, nomen hoc loco sit omissum? Quamuis enim satis expeditum sit, Valentinianum II. eodem anno, nonagesimo quippe secundo seculi quarti, in Gallia scelere Arbogastis periisse; accidit tamen id mense

B maio,

** conf. *leg.* 19. *cod. Th. de extraordinariis.* Tatianum hunc, præter ZOSIMVM, maximopere commendauit LIBANIVS, cuius quamplurimæ epistolæ exstant, ad Tatianum perscriptæ & a WOLFIO editæ. Maxima quum auctoritate valeret apud Valentem & Theodosium, non miramur, Ruffinum omnem operam in eo collocasse, vt ex aula proscriberetur. conf. SAM. BASNAGIVM *dict. loc. tom.* II. p. 136. sqq. & *prosopographiam codicis Theod. tom.* VI. *part.* 2. p. 89.

*** conf. RELANDVM *dict. loc.* p. 507.

maio, teſte EPIPHANIO; * nec deſunt aliæ leges, eodem anno ac in eadem vrbe Conſtantinopolitana ſcriptæ, quarum inſcriptiones rectius nonniſi Valentinianum, Theodoſium & Arcadium commemorant. ** Honorium patri fratrique adiungi, non miror. Bene ſcio, Honorium inſequuto anno cæſaris nomen dignitatemque accepiſſe; *** aliarum tamen legum, * quarum pars noſtra antiquior eſt, conſenſus efficit, vt nomina coimperatorum nonnumquam ante ſolemniorem conſecrationem legibus præfixa fuiſſe, credam; niſi ſuſpicari malis, errore THEODOSII iunioris; aut iureconſultorum, quorum opera is vſus eſt; aut libra-

* conſulas SAM. BASNAGIVM *annal. eccleſiaſtico-polit. tom.* II. p. 135.

** vid. *l.* 7. *cod. Th. de iurisdictione : l. vlt.* eiusdem *codicis de defenſ. ciuitatum* & inprimis *l.* 2. *cod. Th. de monachis*, quæ præterea eodem quoque die, XV. cal. mai. data fuit.

*** legas LVD. ANT. MVRATORIVM *hiſtor. Ital. tom.* I. p. 617.

* exemplo ſint *leg.* 124. & 125. *cod. Theod. de decur. lex 3. cod.* eiusdem *quorum adpellat.* & *lex.* 8. *de reparat. adpellat.*

librariorum recentioris æui Honorii nomen in illas irrepſiſſe.

§. VI.

Sequitur lex quarta eaque, breuibus his verbis ab Arcadio & Honorio Auguſtis expreſſa : * *ſi quis audeat, inluſtrium patriarcharum contumelioſam per publicam facere mentionem, vltionis ſententia ſubiugetur. Dat. VIII. kal. maii, Conſtantinop. Arcad. IV. & Honor.* III. *A. A. coſſ.* id eſt, anno poſt reparatam dei gratiam CCCXCVI. ** De hac pauca monenda ſunt. Miſſa fuit ad Claudianum, comitem orientis, quem eumdem eſſe cum Claudiano poeta, ſuſpicati ſunt IAC. GOTHOFREDVS *** & IO. SELDENVS; * nec repugnant coniecturæ temporis rationes; nec, vti MARQV. GVDIO ** viſum fuit, libri, æque manu exarati ac typis deſcripti, quorum præſtantiores nomen *Claudiani*, non *Claudii*, exhibent. Grauior de

 hac

* *leg.* II. *cod. Theod. de Iudæis.*

** vid. PETR. RELANDVM *faſt. conſ.* p. 523.

*** *not. ad leg. cit.*

* de *iure natur. & gent. libr.* II. *cap.* 3.

** conf. IO. ALB. FABRICIVM *bibl. lat. vol.* III. p. 151.

hac re dubitandi caussa mihi comitis orientis dignitas esse videtur. Hunc enim comitem prouinciarum, versus orientem positarum ac, imperio diuiso, Arcadio parentium, gessisse curam, perinde certum est atque Claudianum eodem anno, quo ipse panegyricum de tertio consulatu Honorii conscripsit, apud imperatorem occidentalem fuisse. Hinc me ignorare, non nego, quomodo Claudianus, derelicta aula Honorii, in qua longum post tempus variis maximisque beneficiis auctus fuit, *** comitis orientis munere fungi potuerit? Quod legis nostræ caput est, nulla eget probatione vberiori. Non solum enim profanas gentes, superstitioso idolorum cultui adhuc addictas; * sed ipsos etiam christi sectatores, ** contra doctoris sui præcepta, nefando atque impio prosequutos esse Iudæos odio hanc-

*** legas IO. NIC. FVNCCIVM de *veget. ling. lat. senect.* p. 541. sqq.

* conferas scriptores, laudatos a IO. CHR. WOLFIO *biblioth. ebr. tom.* II. p. 1100.

** consule, præter alios, IVST. HENN. BOEHMERVM *diss. de cauta Iudæor. tolerantia* §. 4. sqq.

hancque ob cauſſam, laudabili iuſtitiæ exemplo, furorem illorum hoc edicto repreſſum, nemo eſt, quin intelligat.

§. VII.

Progredimur ad legem quintam, * ab iisdem imperatoribus conſcriptam & ad Cæſarium præfectum prætorio datam, cuius hæc ſunt verba: *Iudæi ſint obſtricti cærimoniis ſuis. Nos interea in conſeruandis eorum priuilegiis veteres imitemur, quorum ſanctionibus definitum eſt, vt priuilegia his, qui inluſtrium patriarcharum ditioni ſubiecti ſunt, archiſynagogis patriarchisque & presbyteris ceterisque, qui in eius religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri numinis perſeuerent ea, quæ venerandæ chriſtianæ legis primis clericis ſanctimonia deferantur. Id enim diui principes Conſtantinus & Conſtantius, Valentinianus & Valens diuino arbitrio decreuerant. Sint igitur etiam a curialibus muneribus alieni pareantque legibus ſuis. Dat. kal. iul. Cæſario & Attico coſſ.* Conſularem annum eumdem eſſe cum chriſtiano CCCXCVII. faſtorum ** teſtimonio expeditum eſt. Multa præterea in hoc mandato ineſſe, quæ ex vetuſtatis mo-

 nimen-

* *leg.* 13. *cod. Th. de Iudæis.*
** conf. RELANDVM *dict. loc.*

nimentis lucem exſpectant, non ignoro; ſatis tamen patet, aliena ea eſſe ab inſtituto noſtro, cuius fines nefas eſt, excedere. Ea, quæ ſupra adtuli, manifeſto docent, imperatores chriſtianos Iudæis ἀυτονομίαν reliquiſſe. Duæ inprimis ad hanc legem ſpectant quæſtiones, admodum inter doctos viros controuerſæ. Harum altera de duplici patriarcharum genere, apertis conceptisque verbis hoc loco commemorato, agit, de qua infra diſceptandi & quæ vera imperatorum ſit ſententia, recte declarandi, ſuppeditabitur occaſio. Altera hæc eſt, cur Arcadius & Honorius, quum beneficia, a prioribus imperatoribus, Conſtantino, Conſtantio, Valentiniano I. & Valente in Iudæorum gentem collata, enumerant, patris ſui Theodoſii, Valentiniani II. & Gratiani ſilentio prætermiſerint nomina. Admodum placent, quæ ad tollendam omnem in hac cauſſa dubitationem reſpondit IAC. GOTHOFREDVS, *** veroſimile eſſe, quod Theodoſius ac ceteri cæſares iuniores ademerint Iudæis iura, a maioribus conceſſa & ab Arcadio & Honorio

*** *not. ad. leg. cit.* p. 249.

rio quasi postliminio in pristinum locum restituta. Certe magnum pondus huic coniecturæ adfert lex Valentiniani iunioris: * *iussio, qua sibi Iudææ gentis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum datur immunitas, rescindatur.* Vere itaque scripserunt Arcadius & Honorius, *se veteres*, non iuniores, imitari. *Curialia munera* quæuis hoc loco designant officia magistratus ciuilis in municipiis, ad quæ obeunda omnes legibus obstricti erant, quamuis plerique ab illis abhorrerent. Consulas CAROL. DV FRESNE, ** IO. GOTTL. HEINECCIVM *** & qui de immunitate clericorum ab his muneribus disputat, IOS. BINGHAMVM *

§. VIII.

Sexta lex itidem ab Arcadio & Honorio confecta fuit atque inter primaria memoriæ patriarcharum nostrorum monimenta reponenda; nec solum eam

 THEO-

* *l.* 99. *cod. Th. de decurion.*

** *glossar. med. & inf. lat. voc. curial.*

*** *antiquit. Rom. libr.* I. *tit.* 10. *§.* 24. adde IAC. GOTHOFREDVM ad *tit. cod. Theod. de decur.*

* *origin. eccles. vol.* II. p. 253.

THEODOSIVS * exhibet; ſed tranſtulit eam etiam in vaſtum annalium ſuorum opus CAES. BARONIVS: ** *ſuperſtitionis indignæ eſt, ut archiſynagogi; ſiue preſbyteri Iudæorum; vel quos ipſi apoſtolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, a ſingulis ſynagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eumdem reportent. Qua de re omne, quidquid, conſiderata temporis ratione, confidimus eſſe collectum, fideliter ad noſtrum dirigatur ærarium. De cetero autem nihil prædicto decernimus eſſe mittendum. Nouerint igitur populi Iudæorum, remouiſſe nos deportationis huiusmodi functionem. Quodſi qui ab illo depopulatore Iudæorum ad hoc officium exactionis fuerint directi, iudicibus offerantur, ita vt tamquam in legum noſtrarum violatores ſententia proferatur. Dat. III. id. april. Med. Theodoro V. C. conſ.* De auro coronario: de patriarcharum in eo exigendo ſeueritate: de iniuria, quam per illud in imperatores admittebant: de apoſtolis ac ceteris huius legis capitibus, ſubobſcuris ac vberiore diſquiſitione haud indignis

* *leg.* 14. *cod. Theod. de Iudæis.*

** *annal. eccleſ. ann.* CCCXCIX. §. 79. *tom.* V. p. 108.

dignis, hoc loco disputare, nos minus decet; sed ea in alium locum reseruare. Ex consulatu Theodori, qui in annum seculi quarti penultimum incidit, quo tempore lex sit data, facile colligitur; *** neque id mirum est, quod ex duobus nonnisi vnius consulis fiat mentio. Præter alias leges * ac cetera huius generis vetustatis monimenta, nostræ subscriptioni inprimis similis est inscriptio basis cuiusdam:

DEDICATA
VI. IDVS NOVEMBR.
COS. FL. MAL-
LIO THEODORO
V. C.

Quam dum ONVPHR. PANVINIVS recitat, ** haud inepte caussam, cur id vsu venerit, explicat, quam breuiter heic

B 5 repe-

*** conf. PETR. RELANDVM *fast. consular.* p. 556.

* enumerat has leges IAC. GOTHOFREDVS *chronol. cod. Theod. tom.* I. p. CLIII.

** *fast. cons.* p. 417. adde IAN. GRVTERVM *corp. inscript.* p. CCCXCIX. *num.* 3.

repetere eamque, quantum fieri potest, illustrare, nobis liceat. Theodorus, qui in imperio occidentali consulis munere fungebatur, collegam habuit in oriente Eutropium, quem apud Arcadium summa valuisse auctoritate; omnibus tamen, qui summam rerum eunucho ab imperatore concessam ægre ferebant, atque in his, vti multis visum fuit, Eudoxiæ propter arrogantiam & crudelitatem inuidiosum atque offensum fuisse, inter omnes constat. In eo ergo hi omnes curas collocarunt, vt liberarent a turpissima illa seruitute imperatorem seque ipsos a vitæ periculo; nec defuit consiliis eorum exitus fortunatus. Hoc ipso enim anno e fastigio, ad quod peruenit Eutropius, deiectus ac primum exilio mulctatus, deinde, grauiore pœna dignus, truncato capite, e viuis sublatus fuit. Hæc dum præter ZOSIMVM, *** CLAVDIANVM, * IOANNEM CHRYSOSTOMVM, ** SOZOME-

*** *histor. Rom. libr.* V. p. 312. edit. Oxon.

* *præf. libr.* II. *in Eutrop.* v. 45. sqq. p. 423. edit. SCHREVELII.

** *serm. in Eutrop. tom.* IV. *oper.* p. 481. sqq. & *homil.* II. *in ps.* XLIV. p. 671. 687.

ZOMENVM, *** PHILOSTORGIVM, * SOCRATES *ſcholaſticus* ** memoriæ prodidit, apertis conceptisque verbis hæc ſubiecit: ἐκ δὲ τοῦ καταλόγου τῶν ὑπάτων περιῄρέθη τὸ ὄνομα καὶ μόνου τοῦ συνυπατεύσαντος Θεοδώρου ἐγέγραπτο, *ex catalogo conſulum nomen eius eraſum et ſolius collegæ eius Theodori relictum fuit.* Hac de cauſſa CLAVDIANVS, *** quum triſtiorem Eutropii fortunam narraſſet, ita ſcripſit:

lætetur, quisquis Eoos
ſcribere deſierit. Faſtos portenta Gabinos
iſta latent,

vbi *faſtos Gabinos* eosdem eſſe cum faſtis Romanorum conſularibus, ſupra omnem poſitum eſt dubitationem. Quid multa? iure ſuo adnumerandus eſt Eutropius funeſtis conſulibus, de quibus paullo ante itidem ARCADIVS & HONORIVS * præceperunt: *funeſtorum*

*** *hiſtor. eccleſ. libr.* VIII. *cap.* 7. p. 766.

* *hiſtor. eccleſ. libr.* XI. *cap.* 6. p. 150. edit. GOTHOFREDI.

** *hiſtor. eccleſ. libr.* VI. *cap.* 5. p. 305.

*** in *conſul. Stilic. libr.* II. *verſ.* 306. p. 520. ſq.

* *leg.* 9. *cod. Th. de infirm. his, qui ſub tyrannis.*

rum tantum consulum nomina iubemus aboleri, ita vt his reuerentia in lectione recitantium tribuatur, qui tunc in oriente; siue, vbi funesti consules in oriente fuerint, in occidente, annos magistratus victuris perpetuo sunt fastibus auspicati. Legas hanc in rem, quæ ALB. RVBENIVS, ** IAC. CVIACIVS, *** IAC. GOTHOFREDVS, * ANTON. PAGIVS, ** LVD. ANT. MVRATORIVS *** & celeberrimus CHRIST. HENR. ECKHARDVS * monuerunt.

§. IX.

Lex septima breuior est, ita conscripta: *iidem Augusti Eutychiano præfecto prætor. Cuncta priuilegia, quæ viris spectabilibus, patriarchis; vel his, quos ipsi ceteris proposuerunt, diuæ memoriæ pater noster atque retro principes detulerunt, suum robar tenere, censemus. Dat.* III. *non. febr. Constan-*

** *diss. de vita Fl. Mallii Theodori* p. 58. edit. GRAEVII.

*** *obseruat. libr.* III. *cap.* 19.

* *dict. loc.*

** *critic. in annal. Baron. tom.* II. p. 26.

*** *histor. Ital. tom.* I. p. 635.

* *hermeneut. iuris libr.* I. *cap.* 5. §. 224. p. 172. sq.

Constantinopoli Honorio A. III. *& Aristæneto coss.* * siue ex christianorum æra CCCCIV. ** Quantum ex inscriptione *iidem augusti* colligere licet, tribuitur hæc lex Arcadio & Honorio ac gemina littera A A nonnisi duos admittit eius auctores; secus tamen sentit vir summus, IAC. GOTHOFREDVS, nomenque Theodosii iunioris addendum esse, censet, quippe qui ab Arcadio patre ann. CCCCII. in imperii societatem vocatus fuit. *** Non nego, coniecturam hanc abunde confirmari aliis legibus, eodem, quo nostra, anno datis, * remque ipsam institutis veterum adprime conuenire; nec tamen desunt alia cæsarum edicta, in quibus pariter Theodosii nomen omissum fuit; ** nec video, quomodo hæc verba; *pater noster* ad Theodosium nostrum referri queant, cuius auus,

* *leg.* 15. *cod. Theod. de Iudæis.*

** vid. RELANDVM *fast. cons.* p. 543.

*** conf. SAM. BASNAGIVM *annal. politico-eccles. tom.* III. p. 190.

* ne exempla desint, vid. *l.* 63. & 64. *cod. Th. de cursu publico*: item *leg.* 4. & 5. *cod. Theod. de his, qui super religione contendunt.*

** *leg.* 37. *cod. Theod. de episcopis.*

auus, non pater, fuit Theodosius magnus. Praeterea, lex nostra perinde vt duae, quae hanc sequuntur, inter decennalium, hoc anno ab Arcadio & Honorio ob susceptum, post patris obitum, imperium celebratorum, monimenta numerari debet, vti bene obseruauit illustris vir, IO. DAN. RITTERVS. *** Liberalitatis ergo & clementiae documenta Arcadius & Honorius, qui decennalia peragebant, hoc anno dare solebant, quae quum a Theodosio eodem quasi iure non possent exspectari, facile patet caussa, cur in memorata inscriptione Theodosii nomen praetermitti debeat. Dum hac lege confirmantur priuilegia, a maioribus & decessoribus imperatorum Iudaeis concessa, qualia illa sint, hoc loco disquirere, nostra non refert, siquidem ex iis, quae iam adlata sunt, abunde id constat. * Huic legi

*** not. *ad hanc leg. tom.* VI. *part.* I. p. 253.

* conf. inprimis *leg.* 8. & 9. huius *tituli*, perpetua Theodosii M. erga Iudaeos beneuolentiae monimenta, & *leg.* 13. quam iidem Arcadius & Honorius tulerunt, nostrae simillima.

legi octauam** nunc subiicimus, eodem anno eodemque animo, erga Iudaeorum gentem propenso, conscriptam. Verba eius haec sunt: *dudum iusseramus, vt ea, quae patriarchis a Iudaeis istarum partium ex consuetudine praebebantur, minime praeberentur; verum nunc, amota prima iussione, secundum veterum principum statuta priuilegia, cunctos scire volumus, Iudaeis mittendi copiam a nostra clementia esse concessam. Dat.* VIII. *kalend. aug. Rom. Honor. A.* VI. *& Aristaeneto coss.* Haec vt recte capiantur, notes velim, reddi hac lege Iudaeis ius potestatemque, patriarchis annua soluendi tributa, quam idem Honorius, vti supra docui, *** iis ademerat. Facile inde colligi potest, *Iudaeos istarum partium* eosdem esse cum Iudaeis, in prouinciis imperii occidentalis degentibus. Vtrumque ergo mandatum dum Honorio potissimum tribuendum est; nec firmis argumentis comprobatur, similia vmquam edixisse Arcadium in oriente, haud inepte doctissimus codicis Theodosiani interpres coniecturam fecit, Honorium mutasse pristinam

** *leg.* 17. *cod. Theod. de Iudaeis.*

*** § VIII.

nam sententiam eaque abrogasse, quæ nimis seuere antea in Iudæos decreuerat, postquam cum fratre suo in gratiam rediisset, sublatis, quæ inter eos artibus Ruffini & Stiliconis actæ erant, simultatibus. *

§. X.

Nonam ** denique eamque vltimam: immo omnium principem de patriarchis Iudæorum recitamus legem, Theodosii quippe & Valentiniani III. ad Ioannem, comitem sacrarum largitionum, ita perscriptam: *Iudæorum primates, qui vtriusque Palæstinæ synedriis nominantur; vel in aliis prouinciis degunt, quæcumque post excessum patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsoluere. In futurum vero periculo eorumdem, anniuersarius canon de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur, ad eam formam, quam patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant, quæ tamen quanta sit, solerti inquisitione discutias, & quod de occidentalibus partibus patriarchis conferri consueuerat, nostris largitionibus inferatur* Dat. III. *kal. iun. Constantinop. Florentio & Dionysio coss.*

* consule SYMMACHUM *libr.* IV. *epist.* 4.
** *leg. vlt. cod. Theod. de Iudæis.*

coss. siue anno seculi quinti XXIX. ** Hanc dum TRIBONIANVS, *** in codicem Iustiniani translatam, exhibet; nec leuioris momenti est vtriusque exempli differentia, haud alienum a nostro instituto esse, arbitramur, Iustinianei quoque verba adscribere: *Iudæorum primates, qui in vtriusque Palæstinæ synedriis dominantur; vel in aliis prouinciis degunt, periculo suo anniuersarium canonem de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam, quam patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant, & hoc, quod de occidentalibus patriarchis conferri consueuerat, nostris largitionibus inferatur. Dat.* III. *kalend. iun. Constantinop. Florentio & Dionysio coss.* Satis manifestum est, multa heic a TRIBONIANO esse omissa: nonnulla immutata; nihil vero additum. Maiorem quidem, si tale inter Theodosii & Iustiniani libros deprehenditur discrimen, Theodosiani esse auctoritatem, iamdudum mirifico iureconsultorum præstantissimorum consensu expeditum est; * nec fieri

C potest,

** vid. RELANDVS *fast. consul.* p. 600.
*** *leg.* 17. *cod. de Iudiæs.*

* consulas IAC. GOTHOFREDVM *proleg. cod. Theodos. cap.* IV. *tom.* I. p. CCXX. sq.

poteſt, quin hoc loco Theodoſianum, tamquam germanum legis noſtræ exemplum, Iuſtinianeo præferendum eſſe, cenſeamus. Id facile TRIBONIANO ignoſcitur, quod præteriuerit ea, quæ de *exceſſu patriarcharum* commemorantur, ſiquidem rerum, futuro tempore faciendarum, potius; quam eorum, quæ antea vſu venerant ac æui ſui moribus minime reſpondebant, haberet rationem. Maius ſane momentum eſt in vocabulo *dominantur*, quod contra legislatoris ſententiam verbo *nominantur*, quo primates eligendi ius ſignificatur ac hereditariæ patriarcharum dignitati obiicitur, iureconſultus ſurrogauit. Id quod vti euidens eſt; nec a viris, harum rerum peritis, vmquam fuit in controuerſiam adductum, ſatis mirari non poſſum, PETRVM CVNAEVM, ** elegantiſſimum iuris inter-

BVRC. GOTTH. STRVVIVM *hiſtor. iuris cap.* III. §. 8. p. 314. ſqq. & IO. SAL. BRVNQVELLIVM in *diſſ. de codice Theodoſ. eiusque in codice Iuſtinianeo. vſu*, quam præſide beato GVIL. HIER. BRVCKNERO Ien. MDCCXIX. in hac academia defendit, *cap.* IV. §. 7. p. 62. ſqq.

** de *rep. Ebræor. libr.* II. *cap.* 23. p. 790. edit. VGOLINI *tom.* III. *theſ. antiquit. ſacrar.*

terpretem, corruptum hunc TRIBONIANI locum excitasse, ad comprobandam, quam amplexus erat, de maiore Iudæorum Palæstinorum; quam aliorum, libertate sub imperatoribus opinionem. Parem itaque argumentandi rationi viri huius docti sententiam, id est, vtramque falsam esse, recte vidit IAC. GOTHOFREDVS *** ac nouo hoc exemplo confirmauit, quod diligentissime docuit, admodum dubiam: immo fallacem esse TRIBONIANI fidem. Nihilominus nobis haudquaquam persuasum est, omnem vitii culpam in TRIBONIANO esse; sed eam in librariorum negligentiam; aut ignorantiam potius transferendam esse, censemus. Iuris enim Romani libros, perinde vt alia veterum scriptorum monimenta, ab huiusmodi deprauationibus haud liberos ac critica manu sanandos esse, quis est, quem fugiat? Legas, velimus quæ hanc in rem beatus CHRIST. HENR. ECKHARDVS * copiose tradidit,

*** *not. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 269.

* *hermeneut. iur. cap.* II. §. 48. p. 29. adde, quæ de vtriusque codicis in hac lege differentia disputauit IOANN. SELDENVS de *anno ciuil. & calendar. vet. eccles. cap.* XVII. p. 81.

dit. *Nominantur* ergo æque TRIBONIANVM; ac THEODOSIVM ſcripſiſſe, iudicamus. Simili modo verba: *quæ de occidentalibus patriarchis conferri conſueuerat*, non poſſunt non ſuſpecta eſſe, ſiquidem omni ſenſu carent; nec rectam admittunt interpretationem; niſi in priſtinum locum vox *partibus* reſtituatur, quæ negligenter omiſſa fuit, quod præter alios PETR. DE MARCA ** recte monuit. Hæc de lege iſta ſufficiant. Ceteris, quæ luce noſtra indigent, infra eam adferemus.

§. XI.

Satis ergo fecimus promiſſis ac dedimus veterum imperatorum leges, in quibus illuſtrandis omnis noſtra diſputatio verſabitur. Iacta ſunt cauſſæ noſtræ fundamenta; neque iis quid addendum eſſet; niſi referret noſtra, de hiſtorica earum fide & auctoritate, vbi ad Iudæorum res pertinent, diſſerere. Nobis, omnia adcurate circumſpicientibus, nulla ſane ſubeſſe videtur cauſſa, de hac re dubitandi, ſiue ad facultatem; ſiue ad voluntatem legislatorum,

** de *concord. ſacerdot. & imp. libr.* I. *cap.* 3. §. 5.

rum, vera scribendi, animum aduertamus. Sanæ mentis expertem eum esse, oportet, qui credat, imperatores, dum de Iudæis eorumque magistratibus dixerunt sententiam, vera illorum nomina ignorasse; aut si ea minus ignorauerint, consulto & prudenter ea cum falsis fictitiisque permutasse. Tale quid de legum auctoribus nemo sapiens suspicabitur; nec perfidia ista metuenda fuit a iureconsultis, quorum opera THEODOSIVS in colligendis illis principum edictis vsus est. Ipse sane diuus imperator * testis est, se credidisse arduum hoc & difficile negotium viris selectis, *nobilibus, spectatæ fidei & famosæ doctrinæ, quibus delegata caussa ciuilis officii.* Præterea, aliorum scriptorum, ORIGENIS, HIERONYMI, EPIPHANII, accedunt suffragia, quibus egregie confirmantur imperatorum de patriarchis Iudæorum leges, infra a nobis percensenda explicandaque. Quare non miramur, a quo tempore SAM. PETITVS ** imperatorum de Iudæis edicta præcipuis rerum istius

 æui

* in *nouell.* quam GOTHOFREDVS vna cum aliis *codici Theod.* subiunxit, *tom.* VI. p. 1.

** *lect. var. cap.* XXIV. *tom.* VII. *critic. sacr. Anglic.* p. 364.

æui Iudaicarum monimentis adnumerauit eaque omnino sequendum esse, censuit, viros doctos ei adsensisse ac veram hanc sententiam confirmasse. Id potius admirandum videtur, CAMP. VITRINGAM, *** quum PETITVM in comparandis Romanis legibus cum Iudæorum monimentis subinde a veritate recessisse, intelligeret, errorum caussam non ad peruersam illarum interpretationem; sed ad ipsa imperatorum edicta retulisse hæcque pronuntiasse: *quis dicet, conditores Romani iuris verum distinctumque vsum horum titulorum cognouisse & non aliquando inter se confudisse?* Ita sane sibi persuasit illustris synagogæ Iudaicæ architectus, maiorem tribuendam esse auctoritatem libris Iudaicis; quam decretis imperatorum; neque id diffiteri libet, hanc sententiam magnam præ se ferre veri speciem. Eam tamen non possumus habere regulam, qua omnia, de Iudæorum statu tradita, iudicentur; siquidem innumeris constat documentis, omnium pessimos Iudæorum scriptores esse historicos magnaque opus esse cautione, ne ab his magistris in grauissimos adducamur

*** de *synagog. libr.* II. *cap.* 5. p. 521.

mur errores. Recte olim perſpexit magnus HVG. GROTIVS, * Iudæos eſſe peſſimos hiſtoriæ magiſtros: *nam ex quo patria expulſi ſunt, inquit, omnis apud illos hiſtoria craſſis erroribus & fabulis eſt inquinata, quibus proinde nihil credendum; niſi aliunde teſtes accedant.* Quæ quum commendaſſet BRIANVS WALTONVS, ** vt huis opinionis explicaret rationes, hæc ſubiecit: *pauca hic illic in talmude inſperſa ſunt; ſed innumeris fabulis mixta, & quæ de ſcholis Babylonicis & rectorum & rabbinorum ſucceſſionibus per mille annos referuntur, viris doctis valde ſuſpecta ſunt, quum auctores, qui hæc recenſent, recentiores ſint; nec vlla habeant gentis ſuæ certa monimenta, quibus iſta deducunt.* Nec aliorum criticorum ſuffragia deſunt, quorum notitiam PETRVS ZORNIVS *** ſuppeditat. Quantum inprimis ſibi Iudæi indulgeant quamque arroganter falſa de glorioſo, quem fingunt, ſuo ſta-

* *not. in Matth.* XXIV. 24. *tom.* II. *oper. theol.* p. 229.

** *prolegom.* III. *in bibl. polygl.* §. 55. p. 259. *adparat. biblic.* edit. HEIDEGGERI.

*** *hiſtor. fiſci Iud. cap.* VII. §. 2. p. 318. adde IO. ALB. FABRICIVM *bibliogr. antiqu.* p. 7. & IO. CHRIST. WOLFIVM *bibl. Ebr. tom.* II. p. 1095. ſqq.

tu comminiſcantur, luculentis demonſtrandi exemplis, infra offeretur occaſio. Hæc ſatis ſunt ad demonſtrandum, VITRINGAM minus recte ſentire, quum Iudæorum ſcripta legibus Romanis præſtare, contendit, ac ſine cauſſa PETITVM erroris adcuſari, qui ex iuris Romani voluminibus ad tractandam hiſtoriam Iudaicam petiit præſidia. Quare bene ſapienterque VITRINGAE contradixit IAC. RHENFERDIVS * ac argumenta, quibus verior ſententia innititur, ſcite expoſuit: *hoc opus erat* inquit, *maximeque neceſſarium, quando iidem iuris conditores vel Iudæis in vniuerſum omnibus; vel quibusdam illorum, ſiue leges ſcriberent; ſiue inſignia priuilegia concederent, vt tum ſcirent, & quibus de rebus leges ferrent, & quibus hominibus gratiam facerent. Et horum vtrumque in tabulis expreſſum oportebat, non quæ contemtiſſimæ ſectæ conſtitutionem in ſuis edictis reſcriptisque irent expoſitum; ſed ne leges, negligenter ſcriptæ, calumniis expoſitæ eſſent; vel etiam inutiles atque irritæ fierent: immo ipſis imperatoribus atque imperio damnoſæ. Ab hiſtoricorum autem negligentia ad imperatorum*

* de *decem. otioſ. diſſ.* II. *cap.* 3. §. 11. 12. p. 185. ſq.

rum leges argumentari, nimium quantum est alienum. Illos enim leui aliqua occasione adrepta, de Iudæis agendi, veritatis securos, ea de illis solummodo scribere, quæ vel priuata ipsis malitia; vel publicum odium atque calumnia dictabant, non mirum est. Quod qui de imperatoribus etiam existimet, næ is in eorum maiestatem maxime iniuriosus sit eosque summæ & inexcusabilis arguat ignorantiæ, arrogantiæ, stoliditatis. Ad hæc quum responderet VITRINGA, ** multa quidem adtulit, quæ PETITI coniecturas refellunt; ipsis tamen imperatorum legibus haud refragari videntur; nobis certe, de patriarchis disputantibus, nullum iniiciunt impedimentum. Lis enim, quæ de hoc argumento inter ambos illos doctos viros orta fuit, minime ad patriarcharum munus; sed ad officia quædam synagogæ spectat, itidem in legibus commemorata. Firma ergo ac certa est, quam nobis præscripsimus, norma legum Romanarum, ad quam totam nostram commentandi rationem dirigamus.

 CAP. II.

** de *decemuiris otiosis cap.* XX. p. 267. sqq.

CAPVT SECVNDVM

QVO

DE IVDAEIS, QVIBVS PATRIARCHAE PRAEFVERVNT, EORVMQVE ORIENTALIVM ET OCCIDENTALIVM DISCRIMINE DISSERITVR.

ΣΥΝΟΨΙΣ

Ea, quæ hac ſectione exponuntur, ad tria capita reuocari poſſunt. *Primo* agitur de Iudæis, qui inde ab exilio Babylonico per prouincias orientis diſperſi fuerunt, §. I-III.

Ac in iisdem, ſoluta captiuitate, permanſerunt §. IV-VII.

Secundo de Iudæis, qui, finito exilio, in terram ſanctam ſunt reuerſi; breui tamen poſt per omnes occidentis prouincias diſſipati fuerunt, §. VII-IX.

Tertio denique de perpetuis Cananææ incolis, qui illam, nec poſt euerſam ſub Tito vrbem Hieroſolymam, dereliquerunt, §. X.

§. I.

§. I.

Scimus itaque, quid augusti Romanorum imperatores de Iudæorum patriarchis edixerint, quæue ad eos spectent leges, benigniore fortuna nobis conseruatæ. Id quidem satis certum & supra omnem dubitationem positum est, quod clarissime conceptis apertisque legum verbis conficitur, patriarchas illos *Iudæis* præfuisse ac summum apud illos gessisse magistratum. Habeo ergo caussam, cur de Iudæis ipsis, quos patriarchæ dicuntur rexisse, ac ciuili eorum statu, qualis fuerit, quum leges istæ latæ sunt, adcurate disquiram, antequam, quænam fuerit patriarcharum persona, rite queat explicari. Lubens igitur onus hoc suscipio; breuiter tamen summatimque ea, quæ nostro argumento aut illustrando, aut ornando inseruiunt, ex germanis historiæ Iudaicæ monimentis describam.

§. II.

Refert sane, bene nosse, quonam vinculo Iudæorum fata ac vicissitudines cohæserint; nec quid magis ab historici munere dignitateque recedit; quam separare res gestas, arctius inter se coniunctas. Quare nec mihi tempe-

tempero, quin orationem paullo altius ordiar eiusque initium ab eo tempore ducam, quo admirando iuſtitiæ diuinæ exemplo primum Tiglatpileſer, deinde Salmanaſſar, Aſſyriæ reges, Iſraelitarum; ſiue decem tribuum regno bellum intulerunt, maximamque ciuium eius partem ex patria expulerunt & in aliis prouinciis, imperio eorum ſubiectis, ſedes collocare, iuſſerunt. Equidem animus non eſt, de tot difficillimis quæſtionibus, quæ de memorabili hoc Iudæorum fato inter doctiſſimos viros controuerſæ ſunt, hoc loco diſputare. * Sufficit, certis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis conſtare, quod Iudæi, terra ſancta derelicta, in prouincias Aſſyriæ

* omnium, qui in hoc argumento explicando ſtudia ſua collocarunt, iure ſuo princeps habetur HERMANNVS WITSIVS in *δεκαφύλῳ ſiue de decem tribubus Iſraelis libro ſingulari*, qui, incomparabili *ægyptiacorum* operi adiunctus, iterum ac ſæpius typis deſcriptus fuit, *cap.* II. ſqq. p. 249. Huic præter multos alios, qui hiſtoriam ſacram prioris fœderis illuſtrarunt eamque vaſtis voluminibus complexi ſunt, addimerentur IO. FRANC. BVDDEVS *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. per.* II. *ſect.* 4. §. 21. & doctiſſimi Anglici ſcriptores *hiſtor. vniuerſ. tom.* III. §. 676. edit. ven. BAVMGARTENII

Aſſyriæ & Mediæ, quæ tum Aſſyriis paruit, ſeceſſerint. Ita ſane diuinus hiſtoricus ſcripſit de Rubenitis, Gaditis ac dimidia Naphtelitarum parte: ** ויביאם לחלה וחבור והרא ונהר גוזן עד היום הזה *deduxit eos*, quippe Tiglatpileſer, *Chala & Chabor & Hara & ad fluuium Gozan, vsque ad hoc tempus*, & de ceteris Iſraelitis, a Salmanaſſere abductis: *** ויגל את ישראל אשורה וישב אתם בחלח ובחבור נהר גוזן וערי מדי, & *migrare iuſſit Iſraelitas in Aſſyriam ac habitare fecit in Chala & Chabor, prope fluuium Gozan & vrbibus Mediæ.* De Aſſyria nullum eſt dubium; nomen eius hoc loco latius patere totumque Aſſyriæ imperium, quod iſto tempore ampliſſimum multisque prouinciis, ab Aſſyriis in ſuam poteſtatem redactis, erat auctum, denotare; neque id eget probatione, verbis, quæ addita ſunt, ſingulatim nominatimque explicari, quæ vniuerſe ac generatim antea deſcripta fuerunt. Atuero quarum regionum; aut prouinciarum; aut vrbium; cuiusue amnis nomina illa fuerint, Chala, Hara, Chabor, Gozan, tanta eſt ſententiarum doctorum hominum

minum

** 1. *paral.* V. 26.

*** 2. *reg.* XVII, 6.

minum discordia, vt nec coniungi possint; nec, quae vera sit, certis argumentis demonstrari. Nihilominus quum in hoc disputandi genere probabili coniectura nos contentos esse, oporteat, haud mirum sane est, doctissimum quemque adhuc stetisse a partibus SAM. BOCHARTI, * qui Chala eamdem esse cum Colachena PTOLEMAEI, ad àquilonem Assyriae posita: Chabor conuenire cum monte Chaboras, quem idem geographorum veterum princeps inter Assyriam & Mediam interiectum fuisse, testis est: ** Gozan inter duos Cyri alueos fluxisse: Haram denique Mediae ipsius nomen fuisse, diuinauit. Quare scriptori diuino haud refragatur; sed breuius ac, prout temporis sui rationibus erat adcommodatum, rem expli
cauit

* in *Phaleg. libr.* III. *cap.* 14. p. 220. edit. Cadom.

** in eo peccasse BOCHARTVM, non sine caussa crediderunt viri docti, quod Chabor montis nomen esse, putauerit; nec fluuii, quem tabulae Ptolemaei ad laeuam Assyriae ponunt: conf. IO. CLERICVM in *not. ad* 2. *reg.* XVII, 6. & IAC. BASNAGIVM in *histoir. des Juifs part.* IV. p. 981.

cauit IOSEPHVS: *** πάντα τὸν λαὸν μετῴκισεν εἰς τὴν Μηδίαν καὶ Περσίδα, *vniuerſum populum*, quotquot ad ſedes mutandas cogebantur, *in Mediam & Perſiam abduxit.* Longius a veritate diſceſſit AVG. CALMETVS; * nec leuibus erroribus ſe duci, paſſus eſt, quum BOCHARTO contradicere, ſibi ſumſit, firma argumentandi ratione, ab illuſtris nominis theologo, IO. LAVR. DE MOSHEIM ** confutatus, cui præ ceteris MELCH. LEIDEKKERVM *** adiungi, velim.

§. III.

Poſt aliquod temporis interuallum, euerſo Aſſyriorum imperio ac fundato confirmatoque Babyloniæ a Chaldæis regno, eamdem ſub Nebucadnezare acceperunt calamitatem Iudæi. Satis expeditum ac a viris doctis certiſſimis ratio-

*** *antiqu. Iud. libr.* IX. *cap.* 14. *§.* 1. p. 506. *tom.* I. *oper.* edit. HAVERCAMPI.

* in *proleg. & diſſ. in ſcript. ſacr. tom.* I. p. 238. ed. MANSII.

** in *obſeruation.* quas memoratæ CALMETI diſſertationi ſubiecit, *tom.* IV. *der bibliſch. Vnterſ.* p. 395. ſqq.

*** de *vario reip. Ebræor. ſtatu libr.* III. *cap.* 4. p. 270.

rationibus, demonſtratum eſt, ſex factis incolarum Iudææ diuerſis traductionibus, tribus quippe minoribus; tribus maioribus, * ingentem illorum numerum patrios lares deſerere ſeque in alias imperii Babylonici partes recipere, a Nebucadnezare fuiſſe coactum. ** Noſtra intereſt, de locis heic diſquirere, in quæ captiui illi deportati fuerunt. Diuini hiſtoriarum ſcriptores modo generali *Babyloniæ* vtuntur nomine; *** modo, ne hoc quidem expreſſo, vniuerſe, Iudæos abductos fuiſſe, narrant. * Ab his nihil definitur, quod ad quæſtionem recte explicandam ſpectat: illi aperte commemorarunt quidem Babelis nomen; quænam vero eius hoc loco vis ſit, minus patet. Nobis quidem certe perſuaſum eſt, vocabulum בבל in plerisque ſacri codicis effatis, quæ ad pro-

* conf. IO. FRANC. BVDDEVM in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. period.* II. *ſect.* 5. §. I. *tom.* II. p. 606.

** conſulas *hiſtor. mundi vniu. tom.* III. §. 570. ſqq. & §. 860. ſqq. & HVMPHR. PRIDEAVX in *hiſtoir. des Juifs & des autres peuples tom.* I. p. 117. ſqq. aliosque.

*** 2. *chr.* XXXVI, 10. 20.

* e. g. 2. *reg.* XXV, 11. *Ier.* LII, 15.

propositum hoc argumentum pertinent, non vrbis; sed regni nomen esse. Quæ olim vir summus, SAL. GLASSIVS, ** præcepit, *nomen ciuitatis aliquando pro agro; seu tractu circumiacente vsurpari*, ac vera esse, abunde demonstrauit, ea in hunc locum commode adduci posse, quisque facile intelligit. Nec opus est, sententiæ meæ ex scholis grammaticorum ac rhetorum parare præsidia, quam certiora sane argumenta confirmant quamque veritati consentaneam esse, res ipsa loquitur. Accepimus enim, non solum in ipsa vrbe Babylonica mirificam Iudæorum copiam consedisse ***; sed etiam in alias imperii Babylonici prouincias, more coloniarum, secessisse. Sacri carminis auctor conceptis verbis cecinit:* על נהרות בבל שם ישבנו *ad fluuios Babyloniæ ibi habitauimus*: Ezechiel, ** cælestis vates, fuit בתוך הגולה על נהר כבר *in*

 medio

** *philol. sacr.* p. 588.

*** ex innumeris huius rei testibus vnum excitare liceat Ieremiam, qui ad exules vrbis Babyloniæ litteras exarauit, *cap.* XXIX.

* *ps.* CXXXVII, 1.

** *cap.* I, 1. 3. III, 15. XLIII, 3. de vocis גולה vera notione infra quædam disputandi, locus erit.

medio exilio ad fluuium Chebar. Fluuium hunc alueum fuisse Euphratis, *Chaboris praefecti opera deductum*, teste PLINIO, ac Mesopotamiam irrigasse, BOCHARTVS *** notauit, cui praeter alios NIC. FVLLERVS, * CHRIST. CELLARIVS ** & ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS *** adiungantur. Iuxta amnem positum fuit תל־אביב, id est *cumulus spicarum* *; nec dubitandum est, proprium hoc esse oppidi; aut vici nomen. His si addimus, commemorari ab ESRA ** *Telmelach, Telcharsa, Crubaddan, Immer*, vnde Iudaei in patriam redierunt, conficitur sane, diuersas Iudaeorum colonias in diuersas Babylonici imperii regiones fuisse translatas. Insigniter cum his conueniunt testimonia BEROSI *** & IOSEPHI *, quorum ille retulit, adsignatas fuisse Iudaeis capti-

*** *Phaleg. libr.* I. *cap.* 8. p. 38.

* *misc. libr.* IV. *cap.* 2.

** *notit. orbis antiqui libr.* III. *cap.* 16. p. 744.

*** *introd. in libr. canonic. vet. test. part.* III. *cap.* V. §. 2.

* *Ez.* III, 15.

** *cap.* II, 59.

*** apud IOSEPHVM *libr.* I. *aduersus Apion. cap.* 19. *tom.* II. *oper.* p. 450.

captiuis ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις. Plura iis, qui de hac re cupiunt, dabunt GEORG. ERIC. PHALETRANVS ** & CAMP. VITRINGA. *** Id vnum addimus, amicitiæ fœdus, quod Iſraelitis cum Iudæis interceſſit; longo tamen temporis ſpatio disruptum fuit, renouatum quaſi fuiſſe, quum vtrique in peregrinis his terris commorarentur. Legas HERM. WITSIVM.*

§. IV.

Ex his patet, quænam fuerint Iudæorum, qui in orientis regionibus commorati ſunt, origines. Diſperſos eos fuiſſe per ampliſſimi Perſarum regni prouincias, ſatis expeditum eſt; ** nec tamen per inopiam monimentorum fieri poteſt, vt quæ Iudæorum ac ſingularum illorum tribuum in his terris

 fue-

* *antiquit. libr.* X. *cap.* 8. p. 529.

** *diſſ. de ablat. ſceptri Iudaic. cap.* IX. p. 428. edit. GRAEVII in *ſynt. diſſert. rar.*

*** *comm. in Eſaiam tom.* I. p. 427. & *tom.* II. p. 527.

* de *decem. trib. p.* 267.

** conf. IOSEPHVM *antiqu. Iud. libr.* XI. *cap.* 5. & 6. p. 559. ſqq. & OROSIVM *libr.* III. *cap.* 7. p. 162. ed. HAVERCAMPI.

fuerint fata, distincte & adcurate explicemus. Nec est, quod fabulosa fictaque confutemus recentiorum Iudaeorum somnia, quae de fundatis ab illis passim regnis, & potentia & opulentia conspicuis, prodiderunt. Neminem fugit, commentitia illa esse, quae a PSEVDOESRA *, ELDADO, ** R. BENIAMINE *Tudelensi* *** & R. ABRAH. PERITSOL * ad conciliandum genti suae decus ac confutanda christianorum argumenta, quibus oraculis vatum diuinorum de tristiore Iudaeorum post natum salutis nostrae auctorem fortuna confecerunt respondisse exitum, excogitarunt ac mirifica mentiendi audacia aliis persuadere miseri studuerunt. ** Omnia ista remota

* 4. *Esr.* II, 36. 37.

** conf. IVL. BARTOLOCCIVM *biblioth. rabbinic. tom.* I. p. 99 - 130. & IO. CHRIST. WOLFIVM *bibl. ebr. vol.* I. p. 140. sq.

*** in *itinerar.* passim, maxime p. 112. edit. LEMPEREVR.

* *itin. mundi cap.* XIV. apud VGOLINVM *tom.* VII. *thes. antiq. sacrar.* p. 123. sqq.

** legas de his Iudaeorum fabulis IO. ANDR. EISENMENGERVM in *dem endekten Iudenthum tom.* II. *cap.* 10. p. 515. sqq. IAC. BASNAGIVM in *histoir. des Juifs libr.* VI. *cap.*

ta sunt a commentationis huius rationibus. Id potius tenendum est, quamuis & Iudæorum; & Israelitarum *** quædam pars, beneficio ac liberalitate Cyri, in patriam reuerteretur; maiorem tamen vtriusque gentis numerum in nouis, quas versus solem orientem occupauerant, sedibus constanter permansisse. Quod vt cum vaticiniis prophetarum apte conuenit ac testimoniis & sacri codicis; & IOSEPHI abunde confirmatur; ita SVLPITIVS SEVERVS, recentiore quidem ætate clarus; nec tamen spernendus historicus, rem omnem scite his verbis explicauit: *itaque pauci tum in Iudæam regressi, ceteris redeundi animus; an facultas defuerit, parum com-*

2. *tom.* IV. p. 931. IO. PHIL. BARATTIERIVM *dissertationum*, quas *tom.* II. versionis Gallicæ *itinerarii Beniaminis* complexus est, *quinta* et *sexta* p. 182-284. & LVD. HOLBERGIVM in *hist. Iudaic. libr.* XV. *cap.* 16. *tom.* II. p. 702. Quibus plerique addi debent, qui de fluuio *Sabbation* disputarunt, laudati a WOLFIO *tom.* II. *bibl. ebr.* p. 1092. sq.

*** conf. WITSIVM *loc. cit. cap.* V. & VI. p. 270. aliosque, a WOLFIO *dict. loc.* excitatos.

perimus. * Quare recte adfirmatur, Iudæorum gentem, quamuis liberata fuerit exilii pœna; amplissimam tamen adhuc ac in orientis prouinciis longe lateque diffusam fuisse. Quid? quod numerus illorum insigniter auctus fuit, quum sub Persis Babylonis ruinæ omnes essent reparatæ ** ac Artaxerxes Ochus Aegypto bellum inferret, ac multos inde Iudæos captiuos secum abduceret. Hos enim non solum in Hyrcaniam ad mare Caspium ***; sed etiam Babylonem deportatos ac cum illis, qui antea ibi fuerunt, coniunctos fuisse ac facile coaluisse, non est,

* *histor. sacr. libr.* II. *cap.* 8. adde IO. FRANC. BVDDEVM *hist. eccles. vet. test. period.* II. *sect.* 5. §. 8. p. 663. MELCH. LEIDEKKERVM de *rep. Ebræor. libr.* VII. *cap.* 10. p. 476. & de *vario reip. Ebr. statu libr.* V. *cap.* 6. p. 386. sq. HERM. WITSIVM de *decem tribub. Israel. cap.* VII. p. 283. & *misc. sacr. tom.* II. *exerc.* XI. §. 15. p. 225.

** vid. CHRIST. CELLARIVM *diss. de captiuitate Babylonica* §. XIX.

*** conf. IAC. VSSERIVM in *annal. mundi* p. 155. HVMPHR. PRIDEAVX in *histoir. des Juifs tom.* III. p. 84. IO. FRANC. BVDDEVM *cit. loc. sect.* VI. §. 14. p. 885. & ANDR. GEORG. WAEHNERVM in *histor. Ebræor.* §. 823. *tom.* II. *antiquit. Ebræor.* p. 472.

est, quod dubitemus. * Hæc omnia circumspicienti, nemini suspecta; aut incredibilia videbuntur, quæ Iudæorum scriptores de gentis suæ Babyloniæ ac in finitimis regionibus multitudine reliquerunt effata. IOSEPHVS generatim scripsit: ** ἔνθα πλῆθος ἦν Ἰουδαίων, *ibi*, quippe Babylone *multitudo fuit Iudæorum*; alibi tamen de Iudæorum sub Parthis potentia ac fratrum Anilæi & Asinæi fatis admirandis ea tradidit ***, quæ ingentem Iudæorum copiam tunc in Mesopotamia aliisque vicinis terris fuisse, abunde demonstrant. Præter FLAVIVM, PHILO * testis

* conf. PETR. ZORNIVM *not. ad Hecatæi Abderitæ fragm.* p. 48. sq. & IAC. BASNAGIVM *histoir. des Juifs tom.* IV. p. 990.

** *antiquit. Iudaic. libr.* XV. *cap.* 2.

*** famosam hanc Anilæi & Asinæi historiam enarrat IOSEPHVS *antiqu. iud. libr.* XVIII. *cap.* 12.

* de *legat. ad Caium* p. 1036. Hæc confirmantur effato Hamanis, de populo Iudaico hæc prænuntiantis: עם אחד מפזר ומפורד בין העמים בכול מדינות מלכותך ודתיהם שונות מכל־עם, *esse gentem vnam, dispersam dissipatamque per omnes prouincias regni tui*, id est, Ahasueri, *quæ leges, a legibus omnium nationum diuersas, habet*, *Esth.* III. 8.

testis est, Iudæos *Babylonem multasque alias* Persici imperii *satrapias* tenuisse; nec desunt alia huius rei documenta, quæ consulto iam a me prætermittuntur, siquidem nec opus habent vberiore probatione, quæ per se clara sunt ac manifesta.

§. VI.

Non libet, vlterius progredi ac quænam Iudaicæ gentis in his orientalibus terris sub Persis antiquioribus, Græcis, Parthis ac Persis mediæ ætatis fuerint vicissitudines; quosue lætiores; vel tristiores fortunæ casus experti sint, fuse explicare. Quæ vti nihil ad argumentum nostrum illustrandum valent; ita potius hoc loco monendum est, quamuis longiori interuallo Iudæi orientales ab illis, qui in Iudæam reuerterant, essent disiuncti; nec tamen communium sacrorum vinculum, quo tota gens continebatur, disruptum fuisse; sed confirmatum inter vtramque partem sanctissimum illud amicitiæ foedus. Testatur hac de re historia *Estheræ* ac *Hamanis*, commode ab HERM. WITSIO* excitata explicataque; nec refragantur dome-

* de *decem tribub. cap.* VII. §. 5. sqq.

domestici Iudæorum scriptores, ex quorum numero & IOSEPHVS; ** & PHILO *** consentiunt, misisse Iudæos Babylonios ad templum Hierosolymitanum donaria maximi pretii. Iudæi recentioris æui, odio maxime christianæ doctrinæ adducti, non sibi temperarunt, quin populares suos, Babylone egressos, cum fæce; eos vero, qui ibi remanserunt, cum סולת נקייה *farina purissima* & optima compararent ac, quod R. MOSES BEN MAIMON habet, Babylonia in alias terras discedere, prohiberent. Fusius id docent MELCH. LEIDEKKERVS, * IO. LIGHTFOOTVS ** & IOANNES LVNDIVS *** & clarissimis signis demonstrant, quantis laudibus Babylonios exornare soleant talmudici doctores, vt salutaribus christianorum sacris ignominiam adferant. Abunde hæc confirmantur

D 5 Hil-

** *antiquit. libr.* XIV. *cap.* 12. & *libr.* XVIII. *cap.* 12.

*** de *legat. ad Caium* p. 1013. 1033. sq.

* de *vario Ebræor. statu libr.* IX. *cap.* 4. p. 630.

** *hor. ebraic. & talmud. in Io.* XIX, 35. *tom.* II. *oper.* p. 630. sq.

*** in *den iudischen Heiligth. libr.* IV. *cap.* 21. p. 939. edit. WOLFII.

Hillelis magni exemplo, de quo præter alios historicos rabbinicos, R. DAVID GANZ expressis verbis scripsit: * עלה מבבל, *adscendit ex Babylonia.* Quanta enim eius apud omnem Iudæorum gentem fuerit doctrinæ existimatio & auctoritas, nemo ignorat; nisi harum rerum prorsus expers sit. ** Hactenus de Iudæis orientalibus; siue Babyloniis.

§. VII.

Reuertimur ad eam Iudæorum partem, cui, recuperata pristina libertate, beneficiis regum Persarum data fuit facultas, ad patrios lares reuertendi ac occupandi priores, quas reliquerant, sedes. Satis copiose in diuinis monimentis memorabilis illius reditus rationes expositæ sunt; nec spectant illæ ad nostrum institutum. Nobis enim suf-

* *zemach Dauid ann.* 4728. p. 24. edit. Francofurt.

** conf. IO. HENR. OTHONEM *histor. doctor. mischnicor.* p. 76. sqq. edit. RELANDI: IO. CHRISTOPH. WOLFIVM *biblioth. ebr. tom.* II. p. 824. IO. FRANC. BVDDEVM *histor. eccles. vet. test. tom.* II. p. 946. HVMPHR. PRIDEAVX *in histoir. des Juifs tom.* VI. p. 4. sqq. & ven. IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM in *adparat. antiquit. sacr.* p. 316. sqq.

ſufficit, id vnum repetere, reparatis vrbis Hieroſolymitanæ ruinis ac exſtructo ſecundo templo, licet non reipublicæ ciuilis; diuini tamen cultus priſtinam formam reſtitutam * doctorumque Hieroſolymitanorum tantam apud ceteros Iudæos fuiſſe auctoritatem, vt iure ſuo vrbs illa totius nationis caput & præcipua: immo vnica religionis eorum ſedes haberetur. Nec enim perpetua fuerunt exulum illorum, qui reducti erant, in tribus, quæ eo tempore conſtitutæ fuerunt, terræ ſanctæ prouinciis, Iudæa, Galilæa ac Peræa, domicilia; ſed multi ea poſthæc permutarunt ac ſenſim per omnes fere occidentis regiones diſperſi ac diſſipati fuerunt. Breuiter quidem; diſtincte tamen rem narrabo. Primus, quantum ſcimus, Alexander magnus ** quum Alexan-

* legas, præter alios hiſtoriæ ac chronologiæ ſacræ ſcriptores, IO. FRANC. BVDDEVM *dict. loc. period.* II. *ſect.* V. §. 8. & *ſect.* VI. §. 1. HVMPHR. PRIDEAVX in *hiſtoir. des Juifs tom.* I. p. 245. ſqq. IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM in *introduct. in libros canonicos vet. teſt. part.* I. p. 326. ſqq. & *hiſtor. mundi vniuerſ. tom.* VIII. p. 574. ſqq.

** adeas IOSEPHVM *libr.* I. *contra Apionem cap.* 36. & ex recentioribus ANDR.

Alexandriam exſtruxiſſet Iudæis auctor fuit, in Aegyptum diſcedere. Eo mortuo, Ptolemæus Lagi, quum Aegyptum ſortitus eſſet & ei Syriam adiungere, decreuiſſet, Iudæam haud negligendam duxit; ſed, capta Hieroſolyma, multos ex Iudæis æque ac Samaritanis in Aegyptum ac, quum Libyam quoque & Cyrenen, obtineret, in has etiam prouincias abduxit. ***

Nec

GEORG. WAEHNERVM *hiſtor. Ebræor.* §. 827. & IAC. BASNAGIVM in *hiſtoir. des Juifs libr.* VI, *cap.* 5. §. 2. p. 1010. Non ignoramus, pleroſque in ea eſſe opinione, ante Alexandrum Iudæos quosdam in Aegyptum ſeceſſiſſe. Atuero primum obſerues, ea, quæ ARISTEAE fide de auxilio, a Iudæis ſub Pſammeticho Aegyptiis contra Aethiopes lato, circumferuntur, communi peritiorum virorum iudicio ſuſpecta eſſe; deinde Iudæos, qui Ieremiæ tempore, vt ſaluti ſuæ conſulerent, in Aegyptum aufugerunt, triſtiori fato ibi periiſſe, *Ier.* XLII. XLIII. nos denique hoc loco de iis differere, qui poſt Babylonicum exilium, relicta terra ſancta, in alias occidentis prouincias ſeſe contulerunt.

*** legas HVMPHR. PRIDEAVX *hiſtoir. des Juifs tom.* III. p. 181. ſqq. HVMPHR. HODY in *diſſert. contra hiſtor. Ariſteæ cap.* XIII. p. 225. PETR. ZORNIVM *not. ad Hecat. fragm.* p. 13. & cel. PETR. WESSELINGIVM de *archont. Iudæorum* p. 24.

Nec institutum hoc maiorum suorum neglexit Ptolemæus philadelphus; sed, quamuis ingentem eorum numerum libertate donaret; multos tamen in Aegypto permansisse, summis a rege honoribus adfectos, vel solum Alexandriæ nomen testatur ac historia de antiquissima sacri codicis versione Græca, quam heic nominasse, sufficiat. ****

§. VIII.

Iudæi itaque, qui sub Ptolemæis in Aegyptum secesserant, ex numero reducum ex Babylonico exilio fuerunt. Præter hos, alii quoque ex terra sancta migrarunt. Quum de his nemo adcuratius & distinctius egerit MELCH. LEIDEKKERO, * ea, quæ ad nostrum spectant argumentum, liceat ex doctissimi

**** vid. IO. FRANC. BVDDEVM *hist. eccles. vet. test. tom.* II. p. 743. & innumeros illos de versione LXX. virorum scriptores, laudatos a IO. ALB. FABRICIO *bibl. Græc. libr.* III. *cap.* 12. IO. CHRISTOPH. WOLFIO in *biblioth. Ebr. tom.* II. p. 1031. sqq. & ven. IO. GOTTLOB. CARPZOVIO in *critic. sacr. vet. test.* p. 481. sq.

* de *vario reip. Ebr. statu libr.* IX. *cap.* 4. sqq.

mis eius commentariis repetere. Simili, quo Aegyptiorum, Syrorum quoque reges, beneuolentia amplexi Iudæos idque consequuti sunt, vt insignis eorum numerus ex Iudæa in Syriam ac Asiam minorem se reciperet isque haud parum augeretur, quum propter pestilentiam multi etiam ex Babylonicis in istas prouincias abirent. Hasmonæorum ætate, quam tot gloriosæ Iudæorum victoriæ & Hyrcani maxime triumphi illustrarunt, haud pauci in Idumæorum, Moabitarum, Arabum & Phœnicum terras domicilia transferebant. Insignis præcipue huius gentis numerus fuit in Asia minore, quo partim sub Seleuco ex Iudæa; partim sub Antiocho ex Chaldæa; partim denique ex Aegypto sese contulit. In Græciam cum tempore Maccabæorum factique cum illis a Lacedæmonibus fœderis; tum, capta a Romanis Græcia, longe lateque diffusi sunt eoque non solum ex terra sancta; sed etiam ex Asia Aegyptoque peruenerunt. Denique a quo tempore Romani Syriam Iudæamque, Asiam minorem, Græciam & Aegyptum potestati suæ subiecerunt, Iudæorum natio sensim, maxime ab initio noui testamenti, in

omnes

omnes ampliſſimi imperii Romani prouincias fuerunt diſperſi. **

§. IX.

Antequam vlterius progrediar, noſtra intereſt, nonnulla de his addere, quæ noſtro argumento illuſtrando mirifice inſeruiunt. 1) Breuiter hæc, quæ narrauimus, complexi ſunt IOSEPHVS & PHILO. FLAVIVS * quidem Iudæos *κατὰ τὴν οἰκουμένην*, *per terrarum orbem* vitam egiſſe atque ex Aſia & Europa dona miſiſſe, teſtatur. Nec nimis magnifice de gente ſua loquutus videtur PHILO, hæc proferens: ** *Ἰουδαίους γὰρ χώρα μία διὰ πολυανθρωπίαν οὐ χωρεῖ, ἧς αἰτίας ἕνεκα τὰς πλείστας καὶ εὐδαιμονεστάτας τῶν ἐν Εὐρώπῃ καὶ Ἀσίᾳ, κατά τε νήσους καὶ ἠπείρους ἐκνέμονται, μητρόπολιν μὲν τὴν ἱερόπολιν ἡγούμενοι, καθ' ἣν ἵδρυται ὁ τοῦ ὑψίστου θεοῦ νεὼς ἅγιος*, *vna regio Iudæos non capit, propter inſignem* eorum

** quæ ſtrictim perſequuti ſumus, latius enarrant hiſtoriæ Iudaicæ ſcriptores & in his IAC. BASNAGIVS in *hiſtoir. des Iuifs tom.* IV. p. 990-1084. & LVD. HOLBERGIVS in *hiſtor. Iud. tom.* II.

* *antiqu. libr.* XIV. *cap.* 12. eadem verba ſunt PAVLLI *act.* XXIV, 5.

** in *Flaccum* p. 971.

eorum multitudinem, quosit, vt in optimis & florentissimis Europæ ac Asiæ prouinciis, in insulis æque ac terris continentibus inueniantur, qui tamen omnes pro metropoli sua habent vrbem, in qua sacrum dei summi exstat templum. Alibi *** hæc habet: ἔννοιά τε αὐτόν εἰσῄει, τοῦ ἔθνους, ὅσον ἐστὶν ἐν πολυανθρωπίᾳ, ὅπερ οὐκ ἐδέξατο καθάπερ τῶν ἄλλον ἕκαστον μιᾶς χώρας, τῆς ἀποκεκληρωμένης αὐτῷ μόνῳ περίβολος, ἀλλ' ὀλίγου δέω φάναι πᾶσα ἡ οἰκουμένη. κέχυται γὰρ ἀνά τε τὰς ἐπείρους καὶ νήσους ἁπάσας, ὡς τῶν ἀνθιγενῶν μὴ πολλῷ τινι δοκεῖν ἐλαττοῦσαι, *illud quoque cogitabat, quam populosa esset hæc natio, non vt aliæ, comprehensæ vnius regionis spatio; sed totum pene orbem passim incolens. Diffusa est enim per continentis prouincias omnes atque insulas, adeo vt non multo pauciores sint indigenis.* Hæc fusius enarrat AGRIPPA * ac colonias ex Iudæa in Aegyptum, Phœnicen, Syriam, præcipue Cœlesyriam, Pamphiliam, Ciliciam, plerasque Asiæ partes, vsque Bithyniam & Ponti sinus omnes, in Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atti-

*** de *legat. ad Caium* p. 1029.

* in *epistol.* apud PHILONEM *dict. loc.* p. 1031.

Atticam, Argos, Corinthum, Peloponnesi partes praecipuas, Euboeam, Cyprum, Cretam deductas fuisse, tradit. Legenda sunt, quae hanc in rem differunt NATH. LARDNERVS, ** IO. BRAVNIVS *** & GEORG. BENSONIVS, * variis noui foederis oraculis illustrandis adprime idonea: II) inprimis discrimen obseruandum est, quod inter exilia Assyriacum Babylonicumque & recentiores Iudaeorum transportationes interfuit. Ibi enim vi & victoris voluntate ad patrias sedes derelinquendas fuerunt coacti; heic autem beneficiis & fauore regum exterorum adlecti; aut spe consequendae maioris felicitatis; aut faciendae mercaturae caussa adducti, sponte sua commutarunt domicilia. Quod vti res ipsa loquitur ac historicorum consensu confirmatur; ita a viris doctis ** diligentius

** *fid. histor. euangelic. libr.* I. *cap.* 3. p. 184. sqq. edit. WOLFII.

*** *select. sacr. libr.* I. *cap.* 1. §. 11. sqq. p. 10. sqq.

* *paraphr. & not. in epistol. Iacobi* p. 20. edit. MICHAELIS.

** conf. MELCH. LEIDEKKERVM *cit loc.* p. 629.

tius notatum comprobatumque fuit. III) Neque id negligendum ac silentio prætermitendum esse, putamus, quod rerum gestarum scriptores sedulo posteritatis memoriæ tradiderunt, Iudæos, qui extra terram sanctam habitarunt, semper sanctissimo sacrarum religionum fœdere fuisse coniunctos. Quamuis enim Aegyptii Iudæi nefando facinore haud parum a patrio cultu discederent atque, exstructo Oniæ templo, *** grauissimam ciuium suorum incurrerent offensionem ac, impetrata αὐτονομίᾳ, singulares sibi constituerent iudices, ἀρχόντων nomine satis celebres; * ceteros

*** de schismate ecclesiæ Iudaicæ, per templum illud Heliopolitanum exorto, ac grauissimo odio, quo propterea ceteri Aegyptios Iudæos prosequi solent, legas HVMPHR. PRIDEAVX *histoir. des Juifs tom.* IV. p. 349. ANTON. VAN DALE *diss. de Aristea* p. 167. sqq. CAMP. VITRINGAM in *comment. in Esaiam tom.* I. p. 582 aliosque, laudatos a IO. ALB. FABRICIO *bibliogr. antiqu.* p. 287. & PETR. ZORNIO *not. ad Hecat. fragm.* p. 14.

* Iudæos in Aegypto suos habuisse magistratus, nemo ignorabit; nisi prorsus ignoret ea, quæ a viris doctis fuse acriterque de ethnarcha, de alabarcha archontibusque disputata sunt. De archontibus, qui iudices Iu-

ros tamen erratorum horum immunes, fuisse fanoque Hierosolymitano constanti fide addictos diesque festos maximos ibi peregisse, ** synedrii quoque apud illos maximam fuisse auctori-

 tatem

daeorum erant, in variis vrbibus passim constitutis, egregium testimonium perhibet Berenicensis inscriptio, in qua illustranda feliciter versati sunt: illustrissimus marchio, SCIP. MAFFEVIS in *antiquit. Gall. epist.* I. p. 6. sqq. & *epist.* VIII. p. 42. edit. Veronensis: IOANN. BOVHIERIVS in *explicat. de quelques marbres* p. 30. sqq. & vir cel. PETR. WESSELINGIVS in elegantissima *diatr. de Iudaeor. archontibus*, Traiecti ad Rhenum anno MDCCXXXVIII. in lucem edita, cui addi debent, quae cel. IO. GOTTL. CARPZOVIVS *adpar. antiqu. sacr.* p. 10. obseruauit. De ethnarcha; aut alabarcha; siue arabarcha, cuius vtriusque nominis IOSEPHVS ac PHILO custodes sunt, legas NIC. FVLLERVM *miscell. sacr. libr.* IV. *cap.* 16. CAMP. VITRINGAM de *synagog. vet. libr.* II. *cap.* 9. MELCH. LEIDEKKERVM de *vario reipl. Ebr. statu libr.* IX. *cap.* I. §. 8. p. 621. IAC. RHENFERDIVM *diss. de Arabarchis* in *oper. philol.* p. 584. in sqq. PETR. WESSELINGIVM *diatrib. laudata cap.* VIII. p. 63. ac alios, quorum notitiam PETR. ZORNIVS suppeditat *histor. fisci Iud.* p. 402.

** vid. LEIDEKKERVM *cit. loc. cap.* 7. §. 5. p. 637.

tatem, præter tot alia harum rerum monimenta, historia diuina, omni humana auctoritate superior, testis est locupletissimus. IV) Denique haud aliena nobis videtur a veritate eorum sententia, qui communi nomine varias has Iudæorum colonias διασποράν τῶν Ελλήνων in libris noui fœderis adpellari, *** sibi persuadent. Quorum vti principes sunt: CLAVDIVS SALMASIVS, * IOANN. BRAVNIVS, ** FRID. ADOLPH. LAMPIVS, *** & IO. CHRIST. WOLFIVS; * ita ablegamus ad eos lectores, qui plura desiderant.

§. X.

*** *Io.* VII, 35. Legas, quæ eleganter ad confirmandam hanc interpretationem adtulit cel. CHR. AVG. HEVMANNVS in *der Erklær. des neuen Test. tom.* III. p. 362.

* de *lingua Hellenistic.* p. 221. de *funere linguæ Hellen.* p. 101. & *respons. ad Milton.* p. 286.

** *select. sacr.* p. 14.

*** *comm: in Ioann. tom.* II. p. 343.

* *cur. phil. & crit. tom.* I. p. 879.

§. X.

Pauca denique de Iudæis, qui in terra ſancta permanſerunt, addenda ſunt. Noſtra non refert, triſtiſſima reipublicæ illorum fata exponere ac miſerabiles fortunæ caſus, quos ab eo tempore, quo inſtaurata ac renouata illa fuit, experta eſt & ſubiit, vsque dum, Romanorum poteſtati penitus ſubiecta, innumeris documentis cognoſceret, ſceptrum, quo gloriari ſolebat natio, diuino conſilio ipſi commiſſum, eadem denique ſummi numinis voluntate eſſe ablatum. Id potius hoc loco monere, liceat, quamuis ſub Veſpaſianis Hieroſolyma euerſa eſſet ac horribili ruina omnis fere Iudæorum gens exſtincta videretur omnesque ſuperſtitionis eorum rationes maximopere perturbatæ; eos tamen haudquaquam ex terra ſancta proſcriptos & exterminatos fuiſſe. Incredibilis quidem Iudæorum numerus ea tempeſtate periit, adeo vt IOSEPHVS XCVII. millia captorum; fame vero; aut ferro conſumtorum MC. millia conſignaret; ** nihilominus in ipſa terra ſancta permultos relictos fuiſ-

** conf. CAMP. VITRINGAM in *hypotypoſ. hiſt. & chronol. ſacr.* p. 207. & IAC. VSSERIVM *annal. vet. & nou. teſt.* p. 688.

ſe & licet vili ſeruitute oppreſſos; vſos tamen ſuis iuribus & ſacris, non ſolum ſcholæ virique illuſtres, quod recte monet HERM. WITSIVS; * ſed etiam clades ac bella teſtantur, quæ ſub Traiano & Adriano contra Iudæos Palæſtinos perduelles geſta ſunt. ** Atuero quum triſtiſſimus Iudæorum hoc pacto eſſet ſtatus, facili negotio colligi poteſt, deſtructo templo ac ſublato ſolemni diuino cultu, disruptum quaſi fuiſſe vinculum, quo Iudæi, per vniuerſum terrarum orbem diſperſi, continebantur, donec imperatorum beneuolentia res eorum in meliorem locum deducta ac ſuperſtitioſa veneratio, quo exteri Palæſtinos proſequuti ſunt, quaſi eſſet reparata. Hæc dum infra fuſius diſſerendi locus erit; ita id vnum addo, ab iſto tempore Iudæos illos orientales ſe indies a Iudæis occidentalibus ſeparaſſe; neque id iniuria

* *miſcell. ſacr. exerc.* XII. §. 3. ſq. *tom.* II. p. 270.

** de Iudæorum ſub Adriano fortuna triſtiore copioſe diſputauit PETR. ZORNIVS in *hiſtor. fiſci Iud. cap.* VII. p. 314. ſqq. aliosque, qui ante eum eodem labore perfuncti ſunt, laudauit, quibus addi velim virum clariſſimum, CHRISTIAN. ERDMANN. DEYLINGIVM in *origin. & hiſt. Aeliæ Capitol.* §. XII. ſqq.

ria factum, quum Palæstini ipsi, vti demonstraui, Babylonios admodum colerent & obseruarent. His itaque, quæ de variis Iudæorum generibus adlata sunt. quæue, paucis interpositis, magis confirmabuntur, commode discrimen explicari potest, quo Iudæos Babylonios a Iudæis terræ sanctæ distinguere, rabbini consueuerunt. Hos per eminentiam אנשי ארץ ישראל, *viros terræ Israeliticæ*, illos אנשי בבל *viros Babelis* adpellare solent. *Babylonis* nomen hoc loco non vrbem; sed regionem denotare, non est, quod dubitemus. Sic R. ABRAH. SACCVTH *** expressis verbis scripsit: ולאחר שנפטר רב עשו ישיבה בבבל *& postquam migrauit Raf*, id est, R. Iuda sanctus, *constituerunt academiam in Babylonia*, hæcque adiecit: והיא ישיבת סורא *hæcque fuit academia Sorana*. R. NATHAN * discernit חכמי בבל *sapientes Babyloniæ* a חכמי ארץ ישראל *sapientibus terræ Israelis*. Cuius generis alia eaque illustriora infra a nobis excitabuntur testimonia. *Terra Israelis* quidem nonnisi terram sanctam significat; nec tamen negari potest, Iudæos, in occi-

*** *sepher iuchasin* f. 120.

* apud WOLFIVM *biblioth. ebr. tom.* II. p. 919.

dentalibus terris dispersos, arctiori vinculo cum Iudaeis terrae sanctae; quam cum Babyloniis fuisse coniunctos, inprimis si de academiis eorum disceptatur; aut alios patriarchae Babyloniae; alios patriarchae terrae sanctae subiectos fuisse, commemoratur, adeo, vt vnam quasi constituerent gentem, quae ritibus maxime conueniebat. Conferas IO. HENR. HOTTINGERVM. ** Quare nec reprehendendum esse credo christianorum morem, Iudaeos in *orientales* & *occidentales* diuidendi,*** ita vt *orientales* ii potissimum vocentur, qui in Persia eiusque vicinis regionibus commorabantur; *occidentales* vero, qui, vt multa vno verbo complectamur, per totum quasi Romanorum imperium eiusque prouincias, tam Europaeas; quam Asiaticas & Africanas, erant diffusi. Has ergo arbitror fuisse *partes occidentis*, quae in lege Theodosii & Valentiniani III. supra a nobis recitata, * commemorantur. Satis itaque patet, quaenam sint duo Iudaicae gentis genera, quae quum numquam inter se confundi debent; ita nos inprimis ea sedulo distinguere & separare decet. Hac de re hactenus. CAP.

** *thesaur. philol. libr.* I. *cap.* I. *sect.* 4. p. 20.

*** vid. IAC. BASNAGIVM *histoir. des Juifs tom.* II. p. 605. sqq. *tom.* IV. p. 930.

* vid. *cap.* I. §. 10.

CAPVT TERTIVM
DE
NOMINIS PATRIARCHARVM ORIGINE ET VARIOS HONORES SIGNIFICANDI POTESTATE.

ΣΥΝΟΨΙΣ

Poſtquam *generatim* demonſtratum fuit, quænam vocis *patriarchæ* ſint origines §. I. II.

Quæue illius ſignificandi vis §. III. IV.

Speciatim de notione vocabuli πατρια & ἄρχων §. V.

Atque vſu nominis *patriarchæ* tam apud ſcriptores diuinos §. VI.

Quam apud chriſtianos veteres doctores agitur §. VII.

§. I.

Poſtquam ſatis ea a nobis explicata ſunt, quæ, tamquam initia & fundamenta noſtræ diſputationis, ante omnia fuerunt expedienda, ad patriarchas ipſos accedimus ac dum ſplendidiſſimi huius muneris rationes perſequi, animus eſt, non poſſumus nobis

 tem-

temperare, quin ex grammaticorum ſcholis præſidia petamus, ad inueſtigandas nominis origines & recte definiendam eius poteſtatem. Atuero ne vltra; quam ſatis eſt, progredi & extra conſtitutos commentationis terminos vagari videamur, breuitati quam maxime ſeruire eaque tantummodo adferre. decreuimus, quæ ad noſtrum argumentum illuſtrandum multum valent.

§. II.

Prima de origine vocis eſt quæſtio, de qua eo minus dubitare licet, quo certius ipſisque litteris, ex quibus conſtat, expeditum eſt, ex Græcia illam repetendam atque ex πατριὰ & ἄρχης eſſe compoſitam. Recte hoc lexicographi aliique docti viri viderunt & iure ſuo erroneas eſſe HENRICI STEPHANI * & GERH. IOANN. VOSSII ** coniecturas, demonſtrarunt. Vterque non ex *familiæ*; ſed ipſo *patris* nomine πατὴρ ortum hoc eſſe verbum, ſibi perſuadet; STEHANVS vero dandi caſum ſpeciatim definit, ſine dubio per litteram

* *lex. Græc.* voc. πατριάρχης

** *etymol. tom.* I. *oper.* p. 435.

teram; ad amplectendam hanc sententiam adductus. Præter alios docte contra viros summos disputarunt IO. HENR. HEIDEGGERVS *** & IO. CASP. SVICERVS. * Et grammaticorum de nominibus Græcorum compositis placita; & significandi vis, quam ex scriptorum monimentis adsequimur, illis contradicunt. Ponas, tertium vocis πατὴρ casum in nostro vocabulo cum ἄρχης coniunctum esse, quis, quæso, nesciat, hanc esse Græcorum legem, vt huius generis nomina non ex tertio; sed secundo; siue gignendi casu effingantur? Hinc πατροκτόνος, πατροπάτωρ apud POLLVCEM ** aliaque. Nec fieri potest, vt, quem diximus, genitiuum πατρὸς admittamus, siquidem non formaretur πατριάρχης; sed πατράρχης, *** perinde,

*** *histor. sacr. patriarch. cap.* I. §. 2. p. 3.

* *thes. eccles. tom.* II. p. 637.

** *onomast. libr.* III. *segm.* 16. p. 274. ed. HEMSTERHVISII.

*** SVICERO ea fuit sententia, quasi nullam exstitisse Græcam vocem πατριάρχης. Sed reuera eam sequiori æuo nisi inuentam; vsu tamen receptam fuisse, docet CAR. DV FRESNE *glossar. græc. med. & inf. æt. tom.* II. p. 1133. Quid? quod LXX. πατράρχα εἴδωλα scripserint *Es.* VIII, 21.

de, vt στρατοπεδάρχης, πολέμαρχος, σιτάρχης, στρατάρχης, cetera. Deinde, quum nostræ voci, familiæ, aut generis caput & principem denotandi, potestas est, vti, paucis interpositis ostendemus, hæc cum πατὴρ quomodo conueniat, haud intelligo. Latine enim, si ex *patris* nomine formatum esset hoc verbum, non potest non per *patris*; aut si mauis, *patrum principem* exprimi. Satis ergo patet, quænam sit caussa, cur ipse quoque reiiciendam esse, putem hanc, quam confutaui, ἐτυμολογίαν.

§. III.

Græcas vocis nostræ origines postquam reperiuimus; qualis eius sit significandi vis, nunc dispiciemus. Quum a profanis veterum Græcorum monimentis, quæ ad nostram peruenerunt ætatem, illam prorsus abesse, supra omnem dubitationem positum est; nec minus conueniunt viri docti, primos ea esse vsos septuaginta prioris fœderis interpretes ac posterioris auctores diuinos, facile intelligitur, ex quibus fontibus ea, quæ nos expetimus, hauriri debeant. Antiquissimæ sacrarum litterarum versionis Græcæ auctores eam omnino adhibuisse, recte mo-

monuit IO. HENR. HEIDEGGERVS, * iniuria a SAM. BASNAGIO ** hanc ob rem in erroris ſuſpicionem vocatus. Commemorantur enim πατριάρχαι Ἀραάβ, *** mentio fit τῶν πατριαρχῶν Ἰσραὴλ, * τῶν πατριαρχῶν δυνατῶν εἰς πόλεμον, ** item alibi *** ſcripſerunt: ἔλαβε τοὺς πατριάρχας. In noui fœderis libris eadem vox occurrit, de Abrahamo, * de filiis Iacobi ** & de Dauide *** adhibita. Atuero, operæ pretium eſt, paullo adcuratius in hanc vocem inquirere &, comparatis inter ſe his effatis, quænam eius vis ſit, definire. Ante omnia tenendum eſt, nomen Græcum, quo ſeptuaginta interpretes vſi ſunt, reſpondere Ebræorum vocibus ראשי האבות 2. *paral.* XIX, 8. XXVI, 12. nec dubitanter adfirmo, dum iidem interpretes eodem vocabulo Græco ad exprimenda verba Ebræa שרי מאות vſi ſunt,

* *hiſtor. ſacr. patriarch. cap.* 1 §. 2.
** *exercit. anti Baron.* p. 280.
*** 1. *paral.* XXIV, 31.
* 2. *paral.* XIX, 8.
** 2. *paral.* XXVI, 12.
*** 2. *paral.* XXIII, 20.
* *Ebr.* VII, 14.
** *act.* VII, 8. 9.
*** *act.* II, 29.

ſunt, 2. *par*. XXIII, 20. eos per errorem non מאות *centum*; ſed אבות *patres* legiſſe, perinde vt alibi שרי האבות occurrunt, 1. *par*. XXVII, 12. Etenim Græcorum *patriarchas* eosdem eſſe cum Ebræorum *capitibus*; vel *principibus patrum*, ex iis, quæ iam de ראשי האבות monebimus, colligi poterit.

§. IV.

Quum ea eſſet ſummi numinis voluntas, vt tribuum familiarumque Iſraelitarum diſcrimen ſedulo ſeruaretur & ad poſteros transmitteretur, eo potiſſimum conſilio, vt quam quæque tribus & quæque familia ſortita erat terræ ſanctæ partem, eamdem quæque tribus; aut familia perpetuo teneret & hereditatis iure ad filios ac nepotes transferret, arctiſſimum fuit ſingularum familiarum ac gentium vinculum & ne illud diſſolueretur, bene ſapienterque hoc inſtitutum, vt ſingulæ ſibi principes ac capita conſtituerent. * Variis hi vtuntur in ſacris litteris nominibus. Adpellantur modo ראשי בית אבותם aut אבות ſine ſuffixo; aut cum præ-

* de his docte egit CAR. SIGONIVS *de rep. Ebr. libr.* VII. *cap.* 6. apud VGOLINVM *tom.* IV. *theſ. antiqu. ſacr.* p. 703.

præfixo האבות *capita domus patrum suorum*, *exod.* VI, 14. *num.* VII, 2. XVII, 18. *Iof.* XXII, 14. 1. *paral.* V, 24. VII, 7. 9. 40. modo ראשי אבות *exod.* VI, 25. *num.* XXXI, 26. XXXII, 28. XXXVI, 1. *Iof.* XXI, 1. XIV, 1. XIX, 51. 1. *par.* VIII, 6. 10. 13. 27. IX, 9. 33. 34. XV, 12. XXIII, 9. 24. XXVI, 21. XXVII, 1. 2. *paral.* XXVI, 11. XXIV, 6. 30. XXVI, 27. XXIII, 2. XIX, 8. *Esr.* I, 5. III, 12. IV, 2. 3. VIII. 1. X, 16. *Neh.* VII, 90. VIII, 13. XII, 12. 22. 23. ** modo ראשים לבית אבות *num.* I, 4. modo ראשים לאבות *Neh.* XI, 13. Nec Græcæ versionis, sæpius commemoratæ, auctores sibi constant; sed pari modo diuersis nominibus illos designant, ex quorum numero huc spectant: *ἀρχαὶ πατριᾶς*, *exod.* VI, 26. *ἄρχοντες καὶ οἴκους πατρῶν*, *num.* I, 4. XVII, 2. XXIV, 14. 1. *par.* V, 24. *ἄρχοντες οἴκων πατριῶν*, 1. *par.* VII, 2. 9. *ἄρχων οἴκου πατριῶν*, *num.* III, 30. *ἄρχοντες πατριῶν καὶ οἴκους πατριῶν*, 1. *par.* IX, 19. *ἀρχηγοὶ οἴκων πατριῶν* 1. *par.* V, 24.

** quoties voces ראשי אבות solæ occurrunt, toties vocem בית per ellipsin esse omissam, ex iis locis, vbi illa expressa est, recte colligitur. Notauit id iam CHRISTOPH. THEOD. WALTHERVS in *ellips. Ebraic.* p. 21. aliaque huius ellipseos exempla adtulit.

24. ἀρχηγοὶ τῶν πατριῶν, *Neh.* VII, 70. ἀρχιπατριῶται *Iof.* XXI, 1. denique ἄρχοντες πατριῶν, *num.* XXXI, 26. 28. XXXVI, 1. *Iof.* XIV, 1. XIV, 15. 1. *paral.* VII, 1. XV, 12. XXIII, 9. XXIV, 6. 31. XXVII, 1. 1. XXIX, 6. 2. *paral.* I, 2. XXIII, 2. *chr.* I, 5. II, 68. III, 12. IV, 2. 3. VIII, 1. 28. X, 16. *Neh.* VIII, 15. XII, 12. 22. 23. His concipitur, nomen *patriarcharum* primum a ſeptuaginta interpretibus effictum fuiſſe, vt Ebræorum voces ראשי בתי אבות recte in Græcam linguam transferrent, hincque ex πατριὰ, quod idem eſt; ac בית אבות & ἄρχης; ſiue ἄρχων, quod cum Ebræorum ראש adprime conuenit, compoſitum.

§. V.

Hæc, quæ de voce πατριὰ diximus, aliis rationibus abunde confirmatur. Ea enim ſeptuaginta viri non ſolum vſi ſunt ad exprimenda Ebræorum verba בית אבות & ipſum אבות, vbi breuitatis ſtudio *domus* vox prætermittitur; ſed alibi etiam, ad Græce vertendum vocabulum משפחה *exod.* VI, 15. 17. 19. *deut.* XXIX, 18. 1. *reg.* IX, 21. conf. ABRAH. TROMMIVM. ** Quæ vt rectius intel-

* *concordant. tom.* II. p. 223.

intelligantur, obſeruandum eſt, vti totam Iſraelitarum gentem in duodecim tribus; ita hasce tribus in certas familias, quas Ebræi modo בתי אבות modo משפחות adpellant, fuiſſe diuiſas. Hinc ſcriptor diuinus ait: פן ישבכם איש אי אשה או משפחה או שבט *ne ſit inter vos vir; aut mulier: aut familia; aut tribus*, *deut.* XXIX, 16. Simili ratione eadem verba coniunguntur; aut rectius ſibi inuicem opponuntur *iud.* XVIII, 19. & pari modo מטה *tribus* & בית אבות *num.* I, 4. Alibi aperte dicitur ראשי אבות המטות, *capita familiarum tribuum*, *Ioſ.* XXI, 1. Quamuis non diffiteri liceat, ſubinde eamdem vocem משפחה de toto hominum genere, *gen.* XII, 3. XXII, 28. *leuit.* X, 6. *Ier.* VIII, 3. *Zeph.* XIV, 18. & de ipſis tribubus gentis Iſraeliticæ *iud.* XIII, 2. XVII, 7. XVIII, 21. *Am.* III, 1. vſurpari atque a LXX. verbo φυλὴ exprimi. Horum auctoritate HESYCHIVS aliique decepti ſunt, qui parum apte πατριὰν per φυλὴν explicarunt, ab HEIDEGGERO ** iam notati. Recte tamen cenſetur, πατριὰν, ſi cum ἄρχων cohæret, non de tribu; ſed de parte tribus, id eſt, familia capien-

** *dict. loc.* p. 2.

capiendam esse. Lux inde variis noui fœderis oraculis adfertur. De Iosepho relatum legitur, fuisse eum ἐξ οἴκȣ καὶ πατριᾶς Δαβὶδ, *ex domo & familia Dauidis*, *** *Luc.* II, 4. Alibi hoc dei de Abrahamo effatum ונברכו בך כל משפחות האדמה *& beabuntur in te omnes familiæ terræ*, *gen.* XII, 4. quod ita transtulerunt LXX. καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, rectius expressum, ita recitatur: ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς, *act.* III, 25. Nec possumus non adsentiri viris summis, CAMP. VITRINGAE, GOTTFR. OLEARIO &, qui iis subscripsit, IO. CHRIST. WOLFIO, * difficiliorem PAVLLI locum: ἐξ ȣ̃, scilicet christo, πᾶσα πατριὰ ἐν ȣ̓ρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, *Eph.* III, 15. pari modo de משפחה siue *familia* explicantibus. Denique, ne quid prætermittatur, duo addimus testimonia humana. Alterum exstat in *libro Tobiæ*, vbi Tobias pater ex Raphaele interrogat: ἀδελφὲ ἐκ ποίας φυλῆς καὶ ἐκ ποίας πατριᾶς εἶ συ; *frater, ex qua-*

*** vocem οἶκος apud Græcos non solum ædificium, sed ipsam quoque familiam denotare, alii monuerunt: conf. IO. CHRIST. WOLFIVM *cur. phil. & critic. tom.* I. p. 1150.

* *cur. phil. & crit. tom.* III. p. 71.

quanam tribu & ex quanam familia es ortus? V, 10. Alterum IOSEPHI ** est, qui eamdem *tribum* & *familiam* discernendi rationem admisit hancque significandi vim voci πατριᾶς tribuit. Hactenus de πατριᾷ. Cum voce hac dum coniungitur ἀρχὴ, ἀρχῆς, ἄρχων, satis luculenter patet, his nominibus Ebræoram ראש exprimi. Neque id abhorret a moribus septuaginta interpretum, qui sæpenumero commemoratum nomen ראש Græce ita reddiderunt, vt vel simplice voce ἀρχὴ aut ἄρχων *gen.* II, 10. XI, 13. 20. *exod.* XII, *num.* I, 2. IV, 23. cet. vel si muneris; aut dignitatis esset titulus, cum alia coniuncta vterentur. Silentio prætermitto ἀρχιερεὺς, ἀρχιευνοῦχος, ἀρχιμάγειρος, ἀρχιοινοχόος, ἀρχιστρατηγὸς, ἀρχισωματοφύλαξ, aliaque, quæ TROMMIVS notauit; nostra tamen interest, occurrere nomen ἀρχίφυλος *Ios.* XXI, 1. *deut.* XXIX, 10. quo ראשי שבט, perinde vt nomine πατριάρχης ראשי אבות expresserunt. Commode nobis, hoc scribentibus, in mentem redit, in synagogis Iudæorum haud ignotum fuisse ἄρχοντος nomen, quod præsidibus illarum, vbi iudicis

 susti-

** *antiqu. Iud. libr.* VI. *cap.* 4. §. 2.

ſuſtinebant perſonam, datum fuiſſe, GVIL. TE WATER *** & ven. CHR. AVG. HEVMANNVS * recte notarunt eleganterque inde ad diuinum oraculum *Luc.* XII, 58. adtulerunt lucem.

§. VI.

Ex his, quæ iam diſputauimus, clare patet, *patriarchæ* nomen, ſi ad origines eius reſpicimus, *familiarum* principibus eſſe proprium; nec ſolum hæc eſt grammaticorum ſententia; ſed confirmatur etiam ſcriptorum vſu, ex quorum numero diuini librorum noui fœderis auctores principem tuentur locum. Stephanus, quum Iſraeliticæ gentis fata ſummatim exponeret, inter alia his vſus eſt de Abrahamo verbis: ἐγέννησε τὸν Ισαὰκ καὶ περιέτεμεν αὐτὸν τῆ ἡμέρα τῆ ὀγδόη καὶ ὁ Ισαὰκ τὸν Ιακὼβ, καὶ ὁ Ιακὼβ τὺς δώδεκα πατριάρχας, καὶ οἱ πατριάρχαι ζηλώσαντες, τὸν Ιωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον, *genuit Iſaacum & circumcidit eum die octauo & Iſaacus Iacobum & Iacobus duodecim patriarchas; patriarchæ vero, inuidia ducti, Ioſephum vendiderunt*

*** *miſcell. Duiſb. tom.* I. p. 222. ſqq.

* in *der Erklær. des neuen Teſtam. tom.* II. p. 244. ſqq.

runt in Aegyptum deducendum act. VII, 8. 9. nec obſcure duodecim Iacobi filiis idem nomen eumdemque titulum tribuit, quo ab antiquiſſimo tempore vsque ad noſtram ætatem proprio quaſi iure vſi ſunt. Sic AMBROSIVS, vt vel vnicum rei exemplum adferam, reliquit nobis librum de *Ioſepho patriarcha* * aliumque, hac inſcriptione ornatum: *de benedictionibus patriarcharum*, quo pia vota & vaticinia Iacobi de futura filiorum felicitate, *gen.* XLVIII. & XLIX. litteris conſignata, fuſius eſt interpretatus. ** Nec male ita eos adpellari, quisque fatebitur, qui reputauerit, eo tempore, quo in viuis erant duodecim filii Iacobi, certe eos fuiſſe ἄρχοντας τῶν πατριῶν, *familiarum*, non φυλῶν, *tribuum*, quarum nomen ſi *familiis* opponitur, antequam Iſraelitæ ex Aegypto egrederentur ac reipublicæ ſingularis præ ſe ferrent formam, illis parum apte conueniebat. Iacobus, diuino ſpiritu adflatus, quum fata futura non ſingulorum filiorum, ſed potius omnium eorum poſterorum, in tribus deinde diuidendorum, prædiceret tamquam vates, de Dane nuntiauit,

 fore

* *tom.* I. *oper.* p. 483. edit. Benedict.

** *tom.* I. *oper.* p. 513.

fore eum gentis ſuæ iudicem כאחד שבטי ישראל *ſicut vna ex tribubus Iſraelis*, *gen.* XLIX, 16. atque eodem modo Moſes, cuius æuo *tribus* nomen omnino vſu receptum fuit, peropportune ſcripſit, כל אלה שבטי ישראל שנים עשר *omnes illæ ſunt tribus Iſraelis duodecim*, *verſ.* 28. quum recitaſſet Iacobi oracula, quæ omnino de tribubus protulerat. Hæc ergo duo teſtimonia haud valent ad confutandam noſtram de cauſſa, cur Iacobi filii *patriarchæ* dicantur, coniecturam. Addimus, idem nomen nonnumquam latius patere & ad vltimos Iſraeliticæ gentis maiores transferri. Dubitamus, ad hanc claſſem referre locum diui PAVLLI, quo Abrahamus ὁ πατριάρχης *ebr.* VII, 4. vocatur. Minus recte veram apoſtoli ſententiam adſequuti ſunt, qui ſibi perſuadent, Abrahamum dici *patriarcham*, propterea quod pro vero & primario Iſraeliticæ gentis auctore & patre habeatur, perinde vt alibi pronuntiauerint Iudæi: ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι, *Io.* VIII, 39. Mihi potius videtur, vocem *patriarchæ* propriam hoc loco tenere ſignificandi vim idemque eſſe ac ἄρχοντα τῆς πατριᾶς, *caput familiæ*, *patrem familias*. Quum enim Paullus narraſſet, Abrahamum tradidiſſe Melchiſe-

deco

deco decimas: δεκάτην Ἀβραὰμ ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινέων, præter morem subiecit solam vocem ὁ πατριάρχης, nec fieri potest, vt per adpositionem grammaticorum additam eam esse, credamus. Caussam enim explicat, cur Abrahamus Melchisedeco decimas tradendi, habuerit potestatem, quippe quod fuit patriarcha, id est, paterfamilias, penes quem & ciuile & militare erat imperium. * Nec refragabor, si quis hoc loco participium verbi substantiui ἐλλείπειν, arbitretur, ** ita vt *existens patriarcha* hoc significet: *quum, siquidem existeret paterfamilias.* Maiori iure testes aduocantur doctores veteres latini, qui consueuerunt, omnes Israelitarum maiores ab Adamo vsque ad Mosen, communi patriarcharum nomine complecti. Hinc in distribuen-

* penes patriarchas summum fuisse in familias suas imperium, docent IO. FRANC. BVDDEVS *histor. eccles. vet. test. period.* I. *sect.* 3. §. 20. IO. HENR. HEIDEGGERVS *hist. patriarch. exerc.* II. §. 3. p. 48. IO. GOTTL. CARPZOVIUS in *adpar. antiqu. sacrar.* p. 1.

** de hac ellipsi consulas SAL. GLASSIVM *philol. sacr.* p. 694. & LAM. BOS de *ellips. Gr.* p. 272. edit. LEISNERI.

dis variis rerum ſacrarum periodis, per quatuor Ezechielis animalia repræſentatis, hac formula vſus eſt PHILASTRIVS: *** *primum in patriarchis regalis auctoritas; in prophetis deinde ſcientiæ cæleſtis fæcunditas: in ſacerdotibus labor fortis & pertinax concertatio cerneretur: in apoſtolis volatus ſublimis in cælum & eminens dignitas monſtraretur*, alibique idem, in quo mirifice ſibi placet, myſterium repetiit. * Simili modo TERTVLLIANVS ** patriarchas a prophetis diſcernit, ne de HIERONYMO, AVGVSTINO, HILARIO aliisque quid addamus; quorum ſuffragiis ne opus quidem eſſe videtur ad comprobandam rem ſatis expeditam. Denique quod in diuinis monimentis obſeruamus, Dauidem adpellari patriarcham, *act.* II, 29. recedit quidem a ſcriptorum conſuetudine, nec tamen ideo reprehendendum eſſe, exiſtimamus. Quis, quæſo, Dauidem patriarcham eſſe, neget, qui auctor

*** *hæreſ.* CXXXVI. p. 296. edit. FABRICII.

* *hæreſ.* CXLV. p. 323. *hæreſ.* CXLIX. p. 339. & *hæreſ.* CL. p. 342.

** de *coron. milit. cap.* 9. p. 128. *oper.* ed. RIGALTII.

auctor & caput fuit familiae Dauidis, quam πατριὰν adpellauit diuus LVCAS *euang*. II, 4. Breuiter notare, mihi liceat, nullum nomen ad orationis argumentum aptius; aut ad hunc locum adcommodatius de Dauide a Petro adhiberi potuisse. Quum enim in eo esset, vt iesum Nazarenum verum messiam esse demonstraret eaque, quae de futuro generis humanae seruatore diuini vates praedixerunt, reuera euenisse, comprobaret, Dauidem de christo edidisse vaticinia, rectissime monet. Vt maius verbis suis conciliaret pondus, commode tria de Dauide commemorauit, primum, fuisse eum *prophetam*, ideoque omni fide dignum: deinde deum ipsi, addita iurisiurandi formula, promisisse, fore, vt ex posteris eius messias thronum occupet hincque ea, quae de reditu eius ad pristinam vitam nuntiauit, esse certissima: denique eum esse *patriarcham*, id est, reuera satorem auctoremque τῆς πατριᾶς, ex qua messiam naturae humanae ortum ducere oportuit. Quae ad hunc locum adscripsit SEB. CASTELLIO ***: *quomodo*

 ἀρχι-

*** *adnotat. in act.* II, 29. p. 132. edit. BVNEMANNI.

ἀρχιερεὺς summus sacerdos dicitur & ἀρχιάτρος summus medicus & cetera denique ab ἄρχειν posita; πατριάρχης latine summus pater adpellari potest & est dignitatis vocabulum, nobis haud placent, siquidem supra ostendimus, non a *patre*; sed a *familia* patriarcham dici. In eodem errore olim RHABANVS *Maurus* fuit; in eo tamen magis laudandus, quod caute vtramque sententiam, veram & falsam, coniunctim protulerit easque lectoribus reliquerit diiudicandas. *

§. VII.

Sufficiant hæc de antiquissima nominis nostri significatione. Hæc quum originibus eius apte conuenit, pro nulla honoris adpellatione; nec dignitatis titulo haberi potest. Sed recentiore ætate immutata fuit res idemque nomen ad singulorum cœtuum; aut ciuitatum rectores designandos quasi proprium nomen adhibitum fuit. Antiquissimi christi cultores prudenter se ab illo abstinuerunt. Primi illo vsi cen-

* singularis nobis videtur locus TERTVLLIANI, quo Saturnum *patriarcham deorum* dixit, *libr.* II. *ad nationes* p. 74. *oper.*

censentur Iudæi, quorum patriarchæ sub initium seculi II. post salutarem virginis partum commemorantur; de his tamen hoc loco disputare non libet. Ea enim, quæ posthæc disceptabo, sufficient ad expediendas de nominis huius vsu eiusque caussis quæstiones. Iudæos imitati sunt Montanistæ, qui itidem seculo II. caput extulerunt. De horum patriarchis solum testem habemus HIERONYMVM; * vix tamen a me impetrare queo, vt illi fidem habeam, quem partium studii suspicione haud liberum esse, satis scio; nec ignoro, multa imprimis de Montani adseclis circumferri, quæ falsa fictaque sunt. ** Ipsi denique christiani iique puriori doctrinæ addicti nomen *patriarchæ* vsu receperunt eique varia munera ecclesiastica significandi vim tribuerunt, vsque dum nonnulli archiepiscopi sibi solis id reseruandum esse, censerent. Sed de his disputare, quum penitus ab instituto nostro alienum est, abe-

* *epist.* LIV, siue ex sententia MARTIANAEI XXVII. *ad Marcell. aduers. Mont. tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 65.

** conf. ven. patrem *histor. eccles. nou. test.* p. 888. sqq.

ablegamus eos, qui plura desiderant, ad IO. CASP. SVICERVM, *** CAROLVM DV FRESNE,* SAM. BASNAGIVM, ** LVD. ELL. DVPIN, *** MARC. ANT. DE DOMINIS,* aliosque antiquitatum christianarum scriptores. Id vnum addimus, quod ab aliis notari non meminimus, nonnumquam idem *patriarchæ* nomen abbatibus, qui monachorum domiciliis præsunt, tribui. **

*** *thes. ecclef.* p. 637. sqq.

* *glossar. med. & inf. latin. tom.* V. p. 265. sqq. & *glossar. Græc.* p. 1134.

** *exercit. anti-Baron.* p. 280. sqq.

*** de *antiqu. eccles. discipl. diss.* I. §. 5. p. 9. sqq.

* de *discipl. eccles. libr.* III. *cap.* 10. p. 472.

** conf. ANT. DAD. ALTESERRAM *Ascetic.* p. 114.

CAP.

CAPVT QVARTVM
DE
SVMMIS IVDAEORVM POST CHRISTVM NATVM MAGISTRATIBVS EX DOCTRINA TALMVDICA.

ΣΥΝΟΨΙΣ

Propoſito dicendi argumento §. I.

Recitatur *primum* illuſtraturque locus talmudis de duobus Iudæorum principibus §. II.

Deinde ſpeciatim agitur de Iudæorum orientalium academiis earumque rectoribus §. III.

Et, qui inter illos principem locum tenuit, *æchmalotarcha* §. IV. V. VI.

Pariter ac occidentalium principe, quem ebræo *naſi* nomine adpellant. Diſquiritur ergo de ſynedriis Iudæorum eorumque præſide §. VII.

De ſynedriis, in academias conuerſis, harumque rectoribus §. VIII. IX.

Et ſumma ſupremi rectoris auctoritate §. X.

Denique nonnulla de Aegyptiorum patriarchis, quos quidam fingunt, adduntur §. XI.

§. I.

§. I.

Quum ſine dubio patriarcha ſummus apud Iudæos eſſet magiſtratus, ad recte explicandam, quam tractare adgredimur, quæſtionem multum refert, ea ſcire, quæ ipſi Iudæorum doctores de ciuili gentis ſuæ ſtatu tradiderunt. Hos enim præcipue ſequi nos oportet magiſtros, non quod maior illorum ſit fides & auctoritas; ſed quod ſoli fere de illis rebus diſſerere ſoleant, quas alii vel neglexerunt penitus; vel ſtrictim, dum alia agebant, attigerunt. Fateamur tamen, neceſſe eſt, admodum pauca in Iudaicorum ſcriptorum monimentis deprehendi, quæ in vſum noſtrum poſſunt conuerti, hæcque ipſa haud raro fabularum ineptiis commentisque, tamquam caligine, ita eſſe circumfuſa, vt luce egeant, quæ vndenam peti debeat, vix diuinatione adſequi licet. Conſultum itaque noſtrisque commentandi legibus adprime adcommodatum nobis videtur, eum hoc loco tenere diſputandi ordinem, vt breues atque exquiſitas proponamus quæſtiones easque, ſi obſcuriores ſint, illuſtremus adductisque ſcriptorum teſtimoniis verbis noſtris faciamus

fidem

fidem ſicque particulas perſequamur, antequam vniuerſa patriarcharum ratio conſtituatur definiaturque.

§. II.

Primo loco recitare libet hoc talmudicorum auctorum effatum, quod eo illuſtrius & memorabilius habetur, quo certius eſt, breuiter quidem; luculenter tamen duorum Iudæorum gentis principum ibi fieri mentionem, ac nullum ei ſimile ad nos perueniſſe. Hæc ſunt eius verba * : תניא לא יסור שבט מיהודה אלו ראש גלויות שבבבל שרודין את ישראל. ומחוקק מבין רגליו אלו בני בנו של הלל שמלמדין תורה ברבים, quæ ita latine interpretatus eſt IOANNES COCCEIVS : ** *traditur : non recedet ſceptrum a Iuda. Hi ſunt æchmalotarchæ Babylonici, qui dominantur Iſraeli ſceptro, & legislator ex medio pedum eius. Hi ſunt poſteri Hillelis, qui docent legem publice.* Quomodo hæc capienda ſint, hoc loco non diſputabimus, alibi commodam

* *gemar. tr. ſanhedrin cap.* I. §. 1. *fol.* 5. *col.* 1.

** in *excerptis gemaræ ſanhedrin*, quæ binis codicibus miſchnicis *ſanhedrin* & *maccoth*, latinitate donatis, COCCEIVS adiecit, p. 126.

dam nacturi occasionem, singula orationis huius membra illustrandi. Id vnum notasse, sufficiat, Hillelis posteros, qui doctorum publicorum nomine tituloque vtuntur, eosdem esse cum principibus Iudæorum occidentalium; siue patriarchis. Hoc, quod recitauimus, testimonium in caussa fuit, cur viri doctissimi rerumque Iudæorum adprime periti consentirent, duplex fuisse Iudæis post excidium vrbis Hierosolymitanæ caput, alterum in Babylonia: alterum in prouinciis, versus solis occasum positis, ac constanter recteque adfirmarent, ad hos pertinuisse patriarchæ, de qua iam agimus, adpellationem. Ne desideres exempla, prouocamus ad IS. CASAVBONVM ***, RICH. SIMONIVM, * IAC. BASNAGIVM, ** SAM. PETITVM, *** CAMP. VITRINGAM, * IOSEPH. IVST. SCALIGE-

*** *exercit.* I. *ad app. in annal. Baron.* p. 17.

* in *collat. cærim. Iudaic. cum discipl. eccles. cap.* XI. p. 54. edit. latin.

** in *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 1. & 2.

*** *var. lect.* p. 367.

* de *synagog. libr.* II. *cap.* 5. p. 522. sqq.

LIGERVM, ** HERM. WITSIVM, *** IOS. VOISINVM, * IAC. RHENFERDIVM ** aliosque, qui horum gentis Iudaicæ principum fecerunt mentionem, laudatos a PETRO ZORNIO. ***

§. III.

De singulis nominatim dum disserere, animus est, initium orationis ab orientalibus faciendum esse, arbitror. Equidem fateri haud piget, admodum pauca eaque parum certa de Iudæorum, qui inde ab exilio Babylonico in prouinciis, versus solem orientem positis, commorabantur, statu ciuili ad nos transmissa esse; neque id mirum, si cogitamus, omnem Persarum, Parthorum gentiumque, illis vicinarum, historiam, rerum maxime, primis a christi partu seculis gestarum, memo-

** *not. in Euseb. chron.* p. 205.

*** *miscell. sacr. tom.* II. *exerc.* 11. §. 4. p. 270.

* *not. in Raim. Martini pugion. fidei part.* II. *cap.* 4. §. 10. p. 335. edit CARPZOVII.

** *diss. de decem otiosis* p. 195.

*** *histor. fisci Iud.* p. 387. sq.

memoriam nisi penitus obliuione deletam; caligine tamen valde obscura tectam; nec facile quidquam de illis posteris fuisse traditum; nisi simul ad Romanos eorumque imperatores pertinuisset. Nihilominus l) supra omnem dubitationem positum ac luculentis scriptorum testimoniis comprobatum est, celeberrimas ea tempestate exstitisse in Babylonia ac regionibus finitimis Iudæorum scholas, quas illustri academiarum nomine ornari, vsu receptum est. Quo minus de varia academiarum harum fortuna, nominibus, forma, doctoribus, variis dignitatis ac honoris gradibus & titulis, disseramus, eo lubentius nobis temperamus, quo maiori diligentia in eo explicando argumento versati sunt GEORG. VRSINVS, * CAMP. VITRINGA, ** IAC. RHENFERDIVS, *** IO. GOTTL. CARPZOVIUS * atque alii

* in elegantissimis *antiquit. ebraicis scholastico-academicis*, quæ Hafn. ann. MDCCII. lucem viderunt publicam.

** de *synagoga libr.* I. *part.* 1. *cap.* 5. aliisque præstantissimi operis locis.

*** de *decem otiosis* p. 36. cet.

* *adparat. antiqu. sacr.* p. 123.

alii, a IO. CHRIST. WOLFIO ** & IO. ALB. FABRICIO *** laudati. Quum ea, quæ noſtro inſtituto inſeruiunt, attingere decet, notamus, academias Babylonicas ad imitationem Iudæorum Palæſtinorum fuiſſe conſtitutas hincque originem earum nonniſi ad ſeculum poſt virginis partum tertium eſſe referendam. * Nec ſecus ſentiunt ipſi Iudæorum doctores, quorum teſtimoniis conſtat, primam in Babylonia fuiſſe academiam Soranam, de qua ſatis notum eſt R. ABRAH. SACCVT ** effatum: נלאחר שנפטר רב עשו ישיבה בבבל על דרך א״י והיא ישיבת פורא *poſtquam e viuis ſublatus fuit Raf, conſtituerunt academiam in Babylonia ad modum terræ Iſraeliticæ hæcque fuit academia Sorana.* Quisnam ille Raf ſit, non conueniunt viri docti. GEORG. VRSINVS *** de R. Iuda ſancto, miſchnæ auctore & conditore, hæc dicta eſſe, ſuſpicatus eſt; iure ta-

 men

** *biblioth. ebr. tom.* II. p. 920. ſqq. & *tom.* IV. p. 446.

*** *bibliogr. antiqu. cap.* VIII. §. 1.

* conf. IAC. BASNAGIVM *hiſtoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 4. §. 3. & 9.

** *iuchaſ.* f. 128. a.

*** *antiqu. ebr. ſchol. cap.* II. p. 44.

men ſuo ei contradixit IO. CHRIST. WOLFIVS * ac Abba Aricha, R. Iudæ ſancti diſcipulum, per eminentiam Raf adpellari, monſtrauit. Neque hoc loco ſilentio prætermittendum eſſe, cenſeo, quod vterque, VRSINVS & WOLFIVS, bene comprobauit, Soranam academiam eſſe eamdem cum מתא מחסיא *matha mechaſia*, paſſim in rabbinorum monimentis commemorata. Paullulum ab his recedit ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS ** recteque docet, סורא non vrbis; ſed regionis eiusque Syriacæ; ſiue Aſſyriacæ; atuero מתא מחסיא vrbis nomen eſſe, in qua academia illa, per eminentiam Sorana adpellata, ſedem ſuam collocatam habuit. Huic deinde adiunctæ ſunt academiæ Nahardeenſis, Pumbeditana, Nareſchana, Machuſenſis, Peruzenſis, de quibus præter viros doctos, paullo antea a nobis commendatos, legantur: IVL. BARTOLOCCIVS, *** IO. MORINVS * IAC. BASNAGIVS, ** & IOS.

* *bibl. ebr. tom.* II. p. 922.

** *dict. loc.* p. 123.

*** *biblioth. rabbin. part.* III. p. 663. ſqq.

* *exercit. biblicar. libr.* II. *exerc.* 4. *cap.* 2.

** *hiſtoir. des Juifs tom.* II. p. 675.

IOS. SIM. ASSEMANNVS.*** II) Deinde tenendum eſt, academias; ſiue ſcholas, legi tradendæ explicandæque conſecratas, ישיבות adpellatas, ea tempeſtate easdem cum fuiſſe iudiciis, quæ nomen בתי דינין tulerunt. Viderunt hoc recteque vrſerunt IAC. ALTINGIVS, * IO. SELDENVS ** & CAMP. VITRINGA *** ſicque confecerunt, quamuis ea ישיבות vera fuerit conditio, vt doctrinæ Moſaicæ capita ibi traderentur ſicque ius non diceretur; ſed exponeretur; ſæpius tamen Iudæis a ſupremo magiſtratu id conceſſum eſſe, vt *in ſcholis illis ex ſumma erga doctores reuerentia & confœderata inter ſe, quemadmodum etiam ſuperioribus captiuitatis ſeculis, diſciplina, imitatio quædam eſſet imperii ac iurisdictionis ciuilisque obedientiæ, quæ potius ſcholaſtica erat; quam forenſis; ſed interim mixta.* Scripſit hæc SELDENVS; nec poſſumus non ei adſentiri, quo certius eſt,

 nomen

*** *proleg. tom.* I. *bibl. orient.* §. II. adde cel. IAC. BRVCKERVM *hiſtor. critic. philoſ. tom.* II. p. 820. ſqq.

* in *hiſtor. promot. academ.* p. 308.

** de *ſynedr. Ebr. libr.* II. *cap.* 4. 8. 10.

*** de *ſynagog. libr.* I. *part.* I. *cap.* 7. p. 163.

nomen ישיבה ad ſcholam eo tempore pertinuiſſe. * Mirum ergo nobis videtur, quod in contrariam ſententiam diſceſſerit IOANN. PHIL. BARATTIERIVS ** aliisque perſuadere ſtuduerit, ieſchiuoth Babylonicas non ſcholas; aut academias; ſed magiſtratuum collegia fuiſſe. Quamuis enim negare nolim, aliquando doctores academiarum ius dixiſſe ac tantam regum Perſarum in eos fuiſſe benignitatem, vt illis poteſtatem concederent, de quibusdam Iudæorum cauſſis, plerumque eccleſiaſticis; raro ciuilibus; numquam capitalibus, cognoſcendi; tamen hæc non efficiunt, vt ieſchiuoth non ſcholæ; ſed curiæ eſſent iuridicæ. Ea ſane, quæ eruditiſſimus iuuenis de grauiſſimis vexationibus Iudæorum, quas ea tempeſtate ſub regibus Perſarum per-

* vocem ישיבה chaldaice מתיבה & מתיבתא expreſſam, ſcholæ & academiæ proprium nomen eſſe, docent IO. BVXTORFIVS *lexic. rabbin.* p. 989. CAMP. VITRINGA *cit. loc.* p. 143. aliique de hoc argumento ſcriptores.

** in *diſſertat. ſur l'autorité du chef de la captiuité à Bagdad & ſon conſeil*, quæ inter diſſertationes, *tomo* II. verſionis Gallicæ *itinerarii R. Beniaminis Tudelenſis* comprehenſas, *quarta* eſt, §. XVI. p. 168.

perpeſſi ſunt, adtulit, *** mirifice pugnant contra ἀνομονομίαν plenam & auctoritatem magiſtratuum, qualem fingit. Quæ ad hunc locum recte exponendum diſputari poſſunt, nimis copioſa ſunt eoque maiori iure ſilentio a nobis prætermittuntur, quo minus ad noſtrum inſtitutum valent; nec tamen deerit occaſio, infra, quum de ראש הג׳ diſputabimus, quædam proferendi, ad confirmandam noſtram ſententiam adprime apta. Academiis his III) rectores præfuiſſe, inſignia ad nos peruenerunt hiſtoricorum teſtimonia. Nomen ראש ישיבה *capitis academiæ* ii ſortiti ac præcipui doctoris officio functi ſunt, vti adcurate monent CAMP. VITRINGA, * IAC. RHENFERDIVS ** & GEORGIVS VRSINVS; *** neque eget id vberiore probatione; aut disquiſitione, de quo omnes conſentiunt.

§. IV.

Ex rectorum, quos commemoraui, numero eorumque princeps fuit ראש גולה *caput captiuitatis*, quod Iudæis

 orien-

*** *dict. loc.* §. V. p. 148.
* de *ſynagog.* p. 158.
** de *decem otioſis diſſ.* II. *cap.* 13. §. 8.
*** *antiquit. ebræor. ſcholaſt.* p. 67.

orientalibus præfuiſſe, ſupra docui. Quamuis nomen eius in virorum eruditorum monimentis omnino haud inauditum ſit; muneris tamen eius rationes minime ita explicitæ ſunt, vt certo conſtaret, quid de eo ſentiendum ſit. Si vera fateri libet, in hoc genere perfecta numquam poſſunt exſpectari propter inopiam veterum de illis teſtimoniorum. Hanc ob cauſſam, quum de capitibus captiuitatis diſputare exordior, commoda mihi videtur hæc commentandi via, vt quæcumque a Iudæorum ſcriptoribus de illis ad nos transmiſſa eſſe, intellexi, ſtrictim enarrem; antequam quænam coniectura de vera muneris illius natura adſequutus mihi videor, proponam. Silentio prætereo, quas ex talmude paullo antea repetii, de diui Iacobi oraculo ſatis friuolas interpretationes. Hæc potius notare liceat, I) æchmalotarcham, vt Græco nomine rem apte exprimamus, non ſolum ראש גולה ſed etiam נשיא *principem* adpellari. Huic rei probandæ iam ſufficiant teſtimonia R. ABRAHAMI, filii Maimonidis: * מי שהוא ממונה

קרינן

* *epiſt. ad Ioſeph.* apud VITRINGAM de *ſynagog. libr.* II. *cap.* 5. p. 523. & de X. *otioſ.* p. 277.

להיות ראש גלות בבבל נשיא קרינן, *eum, qui constitutus est, vt sit æchmalotarcha Babylone, illum vocamus principem*, et R. SAL. BEN. VIRGA: ** והוא נקרא נשיא ונקרא ראש הגולה *& vocatur & princeps & caput exilii*, cetera enim, quæ huc adduci possunt, in alium locum reseruamus. Atqui quum exulum capita נשיאין siue principes fuerint, memorabile nobis videtur effatum R. ABRAH. SACCVTI: *** לא היתה ערין ישיבה בבבל אלא הנשיאים שהיו שם לא היו קורין אותם אלא רישי סדרא *nondum erat academia in Babylonia; sed principes, qui istic degebant, nonnisi* רישי סדרא *audiebant*. Quænam nominis huius sit significandi vis, facile cognoscitur. Talmudici adpellant סדר siue סדרא *academiam*, testibus IO. BVXTORFIO * & CAMP. VITRINGA ** II) Iudæorum doctores nimis magnifice de potestate eorum sentire videntur. Confirmantur hæc effato R. MOSIS BEN MAIMON: *** ראשי גליות שבבבל

** in *schev. Iud.* §. XLII. p. 301.

*** *iuchas. fol.* 120.

* *lex. rabb.* p. 1442.

** de *synagog.* p. 143.

*** *commentar. de synedriis & pœnis*, quem ex maiori opere desumtum cum versio-

שבבבל במקום מלך הן עומדים ויש להן לרדות את ישראל בכל מקום quod HENR. HOVTINGIVS ita latine interpretatus est: *æchmalotarchæ in Babylonia loco regis illi stant ac eis concessum est, Israelitas gubernare in omni loco.* III) nihilominus ipsi rabbini confitentur, iudicandi facultatem, qua æchmalotarchæ vsi sunt, benignitati regum Persiæ ferri acceptam. Testem damus R. SAL. ISAACVM, cuius hæc sunt verba: * יש להם כוח ורשות מאת מלכי פרס *est illis vis & potestas a regibus Persidis*: IV) illustri loco eos natos fuisse, volunt rabbini atque ad vnum omnes ex familia Dauidis regia eiusque stirpe mascula illos ortos fuisse hocque nomine principibus terræ Israeliticæ, qui per feminas a Dauide descenderent, esse præferendos, consentiunt. ** Traditur hæc Iudæorum opinio in *talmude Hieroso-*

ne latina HENR. HOVTINGIVS *tract. talm. de festo noui anni* adiecit & Amstelod. ann. MDCXCV. edidit, *cap.* IV. p. 27.

* excitata a IO. COCCEIO *not. in sanh.* p. 126.

** num vere; an falso hæc comminiscantur, alibi breuiter disquiremus.

rosolymitano; *** nec sibi temperauit R. BENIAM. DE TVDELA, * quin vel sua adhuc aetate vnum ex Dauidis posteris munere aechmalotarchae functum esse, aliis persuadere, sibi sumeret: V) quem modo nominaui, *itinerarii* scriptor multa, memoratu digna, de capite nostro captiuitatis notauit. ** Quamuis enim iure suo a viris doctis in suspicionem malae fidei vocetur; nec negari possit, eum multa confinxisse, vt vel fabulis dignitatem suae genti conciliaret ac firmissimis doctorum christianorum argumentis ineptias obiiceret; tamen a me nequeo impetrare, vt omnia spernam & tamquam falsa reiiciam, quae ille litteris mandauit. Quum narrasset, decem esse ישיבות *academias* Bagdadi; siue in vrbe Babylonica *** & enumerasset ישבות

*** *tr. ehelaim* apud COCCEIVM *dict. loc.* p. 127. adde locum *tosiphtae* apud VOISINVM *not. in Martini pug. fidei* p. 335. & R. SAL. BEN VIRGA *histor. Iud.* p. 306. 307. edit. GENTII.

* *itinerar.* p. 71. edit. CONST. LEMPEREVR.

** *dict. loc.* p. 71-75.

*** mirum est, quantum viros doctos BENIAMINIS de decem ישיבות locus exer-

ראשי ישבות *rectores academiarum* ſingularum hosque communi בטלנים *otioſorum* nomine vti, tradidiſſet, hæc ſubiecit: ובראשם של כלם ר'דניאל בן חסדאי הנקרא ראש גלות *omnibus autem iſtis præeſt R. Daniel, filius Hasdai, qui vocatur caput captiuitatis*, atque addidit, eum originem ſuam referre ad Dauidem regem: adpellari a Iudæis אדנינו ראש הגולה *dominum noſtrum caput exulum*; ab Iſmaelitis autem, id eſt, Muhamedanis סיידנא בן דוד *dominum noſtrum filium Dauidis*: eſſe ipſi שררה גדולה על כל קהלות ישראל תחת יד אמיר אלמומנין ארון ישמעאלים *dominium latiſſimum in omnes Iſraelitarum cœtus, ſub imperio principis fidelium, Muhamedanorum domini*: memoratum Muhamedanorum principem iuſſiſſe omnes populos, ei ſubiectos, æchmalotarchæ adſurgere illumque ſalutare: æchmalotarcham vti veſtibus ſplendidiſſimis & comitatu ampliſſimo cinctum ad regem

cere ſoleat. Plerique de ſcholis hic cogitant, quorum vnam ſuperiorem, nouem ea inferiores eſſe credunt. BASNAGIVS ſuſpicatur, pro diuerſis eruditionis humanæ diſciplinis, tot fuiſſe doctorum collegia. BARATTIERIVS ישיבות de iudiciis exponit, eadem hypotheſi innixus, quam recte probari non poſſe, ſupra monui.

gem accedere: dare eum insigni gentium, quas nominatim persequitur, numero רשות לשום על כל קהל וקהל רב וחזן כי הם באים אליו לקחת הסמיכה ורשות ומביאים לפניו דורונות ומתנות מאפסי ארץ *potestatem, sibi in singulis congregationibus professorem & concionatorem præficiendi. Nam ipsum conueniunt, vt manuum impositione potestatem accipiant, & ab vltimis finibus dona & munera deferunt:* porro eum esse עשיר גדול וחכם בפסוק ובתלמוד *valde diuitem & edoctum in sacris litteris & in talmude:* eo die, quo caput exulum creatur, הוא מוציא ממון גדול על המלך ועל השרים ועל הסגנים, *ingentem pecuniæ vim regi & principibus & ministris erogare.*

§. V.

Hæc BENIAMINIS de æchmalotarchis narratio satis quidem ad excitandam de summa eorum auctoritate opinionem videtur adcommodata; multa tamen exhibet, quæ aliorum suffragiis confirmantur. Huius rei ne desint documenta, VI) quæ de potestate capitis exulum prodit, magistros creandi, comprobantur exemplo R. Achai, de quo IVL. BARTOLOCCIVS * retulit, titulum dignitatemque ma-

* *biblioth. rabbin. tom.* I. p. 97.

magiſtri non potuiſſe eum conſequi propter odium principis captiuitatis, qui eam in famulum R. Achæ contulerat. VII) Bene quoque R. BENIAMIN obſeruat, nouum exulum caput regi; ſiue califæ Babylonico, quando munus, ei creditum, ſuſcipiebat, multam pecuniam dediſſe. Sic R. DAVID GANZ: ** מי ימי ישמעאלים לא נהוו ראשי גליות שררה כראוי וכהגון רק היו קונים אותו מין המלכים כמו מוסכים *inde a diebus Muhammedanorum exulum capita dominium non adminiſtrarunt, vti conueniebat & decebat; ſed id a regibus redimebant velut vectigalium redemtores.* Hæc enim in eadem tempora conueniunt, ad quæ BENIAMINIS verba referantur, oportet. Immo ante Muhamedanorum tempora id a moribus Perſarum haud abhorruiſſe, vt dignitatem æchmalotarchæ venderent, R. Pachræ exemplo conſtat, de quo hæc relata legimus: חד חתן הוה ליה לבית דוד והיה רב פחרא שמיה וכד חזיה דמית בית דוד שקל ממונא ושוחדא למלכא ושוויה רישא, *erat quidam gener, cui nomen R. Pachræ, in familia Dauidica. Quum videret, exſtinctam domum Dauidis, obtulit pecuniam & munera regi* ac

** Zemach. *David* f. 36. b.

ae principatum obtinuit. *** Equidem non diffiteor, liberalitatem hanc & donationem a chronici, ex quo hæc hausimus, scriptore non probari; sed addi potius, tristiori fortunæ casu eum corruptionis huius dedisse pœnas; ipse tamen aperte adiecit, Mar Sutram, quum annum XV. attigisset, nonnisi beneficio Persarum regis ad hanc dignitatem peruenisse. VIII) Neque id negligendum esse, putamus, quod diligenter notauit R. BENIAMIN TVDELENSIS, æchmalotarchas primum sedem habuisse in ciuitate Mahasiana, vbi academiam Soranam fuisse, diximus. Ait enim: * היא מתא מחסיא והיו בה ראשי גליות וראשי בתחלה *hæc est vrbs Mahasia, in qua fuerunt capita exulum & rectores academiarum.* Transtulisse autem eos postea domicilium in ipsam vrbem Babylonicam, supra omnem dubitationem positum est. IX) Porro rituum, æchmalotarchas initiandi, solemniumque cærimoniarum, quæ peragebantur, facienda est mentio. In his describendis nemo copiosior fuit R. ABRAH. SACCVT ** & R.

*** *seder olam zutha.* p. 116. edit. MEIERI.
* *itinerar.* p. 81.
** *iuchasin fol.* 122. b. sqq.

& R. SAL. BEN. VIRGA, *** cuius auctoritatem sequuti sunt eaque, quae is primus memoriae prodidit, repetierunt, CONST. LEMPEREVR, * GEORG. VRSINVS, ** IAC. BASNAGIVS *** & IO. PHIL. BARATTIERIVS. * Lubentes ergo dum eodem labore supersedemus, sufficit, selectiora tantummodo narrationis adferre capita, quae nostro instituto inseruiunt. Caput exulum eligendi constituendiue potestatem habuerunt duo rectores academiarum שני ראשי ישיבות cum בני ישיבתם *filiis*; siue discipulis academiarum suarum. Die iouis solemnis eorum fieri consueuit conuentus; nec in aedibus publicis; sed priuatis faustisque pronuntiatis verbis נותנין יד עליו *imposuerunt ei manus*, ** ac

*** *histor. Iud.* p. 300. sqq.

* *not. in Beniam. itin.* p. 195. sqq.

** *antiqu. Ebr. scholastic.* p. 181. sqq.

*** *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 4. §. 7.

* laudata *differt.* §. 11. sqq. p. 160. sqq.

** nescio, qua ex caussa CONST. LEMPEREVR recitata SACCVTI verba latine interpretatus sit: *de ipso iuramentum praestant.* Rectius BARATTIERIVS: *qui lui im-*

ac tuba populo ea, quæ facta sunt, nuntiarunt. Obtulerunt deinde nouo æchma-

posoient les mains. Nec minus SAL. BEN. VIRGA expresse: ר״י נותנין יד עליו *academiarum rectores principi manus imponebant.* Neminem sane credo rerum Iudaicarum tam imperitum esse atque expertem, vt ignoret, hoc fuisse Iudæorum institutum, vt per impositionem manuum, quam modo סמיכת ידים modo breuius סמיכה adpellare solent, magistros suos in academiis nouo muneri consecrarent. Legas tr. mischnicum *sanhedrin cap.* I. §. III. R. MOS. BEN MAIMON de *synedr. cap.* IV. IO. BVXTORFIVM *lexic. rabbin.* p. 1488. IO. SELDENVM de *synedr. libr.* II. *cap.* 7. IO. BRAVNIVM *select. sacr.* p. 747. sqq. IO. NICOLAI *not. in Cunæum de rep. Ebr. libr.* I. *cap.* 12. p. 578. edit. VGOLINI: CAMP. VITRINGAM de *synagog. libr.* III. *part.* I. *cap.* 17. p. 835. GEORGIVM VRSINVM *antiqu. Ebræor. scholast. cap.* VII. p. 174. FRID. SPANHEMIVM *tom.* II. *oper.* p. 874. ADAM. TRIBBECHOVIVM *de impos. man. cap.* II. *sect.* 4. CHRIST. SCHOETTGENIVM *hor. ebr. & talmud. tom.* I. p. 874. & *tom.* II. p. 887. & ven. IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM *adpar. antiquit. sacrar.* p. 144. eisque omnino addas, quæ vir clarissimus IO. GOTTL. BOSSECKIVS *dissert. de professor. extraord. in acad. Iudæor.* p. 11. monuit.

æchmalotarchæ munera, qui ſabbato futuro ſolemni ritu locum in ſynagoga occupauit. Finitis ſacris, domum rediit, comitante eum populo & cum ipſo in ædes eius ingredientibus כל התלמידים *omnibus diſcipulis*, quos per ſeptem dies ex domo egredi, non permittit. X) Addimus denique, quæ de ſublata hac æchmalotarchæ dignitate tradita ſunt. Accidit id eo tempore, quo ſimul ipſæ Iudæorum academiæ Babylonicæ exſtinctæ ſunt. De his R. ABRAHAM *** ita ſcripſit: הישיבות בטלו ממי נ׳ שנה אחרי מות רב סימונא *academiæ ceſſarunt circiter quinquaginta annis poſt mortem R. Simonæ*, id eſt, anno chriſtiano MXXXVII. auctore IO. BVXTORFIO; * aut MXXXVIII. vti IAC. CAPELLO ** viſum fuit. Hoc ſane anno Hiskias, rector academiæ Pumbedithanæ & æchmalotarcha, triſti morte, periit, de quo idem R. ABRAHAMVS *** teſtatur: אחר חזקייה ראש ישיבה וראש גולה פסקו ישיבות וגאונים *poſt Hiskiam rectorem & æchmalotarcham defe-*

*** in *cabbal. fol.* 30. d.

* *Tiber. cap.* VI. p. 26.

** in *ſynopſ. hiſtor. eccleſ. præf.* p. 29.

*** *fol.* 32. d.

defecerunt academiæ & Geonim, vt de R. DAVID. GANZII, R. ABR. SACCVTI aliorumque testimoniis iam sileam. Id vnum addere liceat, ea, quæ R. SAL. BEN VIRGA * de cæde capitis exulum Babylonici retulit, sine dubio de Hiskia illo capienda esse; cetera vide apud IAC. BASNAGIVM ** & IO. PHIL. BARATTIERIVM. ***

§. VI.

Ex iis, quæ ex rabbinorum monimentis in hunc locum congessimus, si id, quod est, fateri libet, quædam veritati consentanea; alia illi contraria: nonnulla certa; alia dubia nobis videntur. In ea sumus sententia, æchmalotarchas, si tempora, origini illorum proxima, intuemur, eosdem fuisse cum rectoribus academiæ Soranæ. Id sane euidens est, munus illorum non exstitisse, antequam publicæ illæ scholæ in Babylonia ordinarentur. Haud inepte IAC. BASNAGIVS * sibi persuasit, R. Hunam primum

* *histor. Iud.* p. 307. sq.
** *histoir. des Juifs tom.* II. p. 674.
*** *cit. lot.* p. 154. sqq.
* *dict. loc. tom.* IV. p. 1208.

mum eo officio fuisse functum. Talmudici sane auctores expresse eum ריש גלותא adpellant. ** Nihilominus de eo R. ABRAHAM. SACCVTVS *** apertis verbis scripsit : ומלך בה ר' הונא מ' שנה והוא ראשון לכל מי שהיה ראש ישיבות *& regnauit in ea*, scilicet academia Sorana, *R. Huna quadraginta annis. Hicque fuit primus omnium, qui fuerunt rectores academiarum.* Confirmat hæc R. DAVID GANZ. * Ait enim : ורב הונה מלך בסורא והוא היה ראש הישיבה הראישון שבסורא *& R. Huna regnauit Soræ hicque fuit primus rector academiæ Soranæ.* Aucto deinde Iudæorum æque ac academiarum numero, vt rectius sibi consulerent ac maiorem conciliarent dignitatis speciem, crearunt caput exulum, quod perinde omnibus academiis, vt rectores singulis academiis, præesset. Imposuerunt illi, vano gloriæ adducti studio, splendidum nomen ראש הגולה quod rectius *caput exulum*; quam *captiuitatis* latine reddideris. ** Hinc, si ad origines honoris hius

** *tr. cetubboth fol.* 35. a.

*** *iuchasin fol.* 120. a.

* *zemach Dauid fol.* 32. a.

** qualis nominum ראש גלות, ראש גולה

huius animum aduertis, suo iure ad academias refertur. Pleraque sane, quæ de illo tradita esse, vidimus, academicos mores redolent. Quum reges Persarum liberaliores se erga Iudæos profiterentur: illis suis moribus

iisque similium significandi vis sit, facili negotio adsequimur. Vocem enim גולה & גלות ita ab Ebræis vsurpari, vt non solum *migrationem* & *deportationem* gentis ex vna prouincia in alteram, *Ier.* XLVI, 7. *Ez.* XII, 3. XXXIII, 22. sed etiam eos ipsos, qui in alium locum transferuntur, hincque, quia patriam deserere coguntur, commode *exules* dici queunt, significet, luculenta docent diuinorum scriptorum effata: 2. *reg.* XXIV, 15. 16. *Ier.* XXIV, 5. XXXIII, 4. XXIX, 4. XL, 1. *chr.* I, 11. Idem ergo est ac בני הגולה quod 1 *chr.* VI, 15. 20. VIII, 38. & alibi passim occurrit. Atqui גולה non *captiuitatem*; sed *exilium* potius significandi habet potestatem hincque a LXX. interpretibus & in libris noui fœderis aptius exprimitur Græcis vocibus: ἀποικία, ἀποικεσία, ἀποικισμὸς, παροικία, μετοικεσία, 2. *reg.* XXIV, 15. 16. 47. 1. *par.* V, 21. *Ier.* XXVIII, 1. XXIX, 19. XLIV, 19. XLVIII, 11. 1 *chr.* I, 11. II, 1. IV, 1. VI, 19. 21. VIII, 34. *Matth.* I, 17. *act.* VII, 43. Nonnulla, quæ huc spectant, obseruauit GEORG. ERIC. PHALETRANVS de *ablatione sceptri Iudaic.* p. 429.

bus suisque legibus viuere, permitterent; academiarum vero doctores legum & iuris Iudaici adprime periti haberentur summaque apud ciues suos valerent auctoritate, sensim iudicis officium cum doctoris munere fuit coniunctum. Patet inde, facile accidisse, vt potestas capitis exulum in dies caperet incrementa idque summi magistratus potius; quam rectoris academiarum supremi sustineret personam. Atuero quum animum in Iudæos mutarent Persæ illisque adimerent facultatem, in academiis legis suæ placita publice tradendi; sublata quoque fuit capitis exulum dignitas. Quæcumque ergo Iudæorum scriptores de imperio æchmalotarcharum summo gloriantur, ad ostentationem comparata atque ad alios, christi maxime sectatores, decipiendos excogitata & conficta esse, quis est, qui non intelligat?

§. VII.

Pergimus ad Iudæos occidentales. In Palæstina perinde ac Babylonia principem suum eos habuisse, tradiderunt historici. Antequam Romani sibi Iudæorum gentem subiicerent, summam

mam rerum & ſacrarum; & ciuilium ſynedrio magno commiſſam creditamque fuiſſe, conſenſu æque domeſticorum; ac exterorum ſcriptorum confirmatum eſt. Qualis illuſtris huius ſenatus fuerit indoles ac fortuna, nimis longum foret, hoc loco recte exponere; neque expedit, ea, quæ viri doctiſſimi de hoc argumento diſputarunt, contra inſtituti rationes in commentarios noſtros transſcribere. *

* quum doctrina de ſynedriis ac præcipue de ſynedrio illo magno maxima noſtro argumento præſidia adferre debet, qui eam recte cognoſcere cupiunt, commendamus iis præter laudatos *miſchnæ* & MAIMONIDIS commentarios, illum a IO. COCCEIO; hunc ab HENR. HOVTINGIO latinitate donatum, & antiquitatum ebraicarum ſcriptores: IO. SELDENVM, cuius immortale de *ſynedriis* opus laudibus noſtris ſuperius habetur: IO. VORSTIVM *diſſ. de ſynedriis*, a THOM. CRENIO *faſcic.* IV. *opuſcul. ad hiſtor. & philolog. ſacr. ſpectant.* iterum edita: HERM. WITSIVM, luculenta de *ſynedriis Ebræorum* diſſertatione, quæ *vol.* I. *miſcellaneor. ſacr. libr.* II. *tertia* eſt: IO. CLERICVM *diſſ.* de *ſynedrio LXXII. virorum*, quam *commentario in libros hiſtor. vet. teſt.* ſubiunxit:

Noſtra id vnum refert, præfuiſſe huic collegio præſidem, illuſtri נשיא titulo dignitateque conſpicuum. De illo generatim hæc tradit R. MOSES BEN MAIMON: ** ואחד הגדול בחכמה שבכולן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אתו חכמים נשיא בכל מקום והוא עומד תחת משה רבינו *vnum vero, ſapientia præſtantem, conſtituebant caput ſuper ſe. Idem eſt præſes ſynedrii & quem ſapientes vocare ſolent principem in omni loco ipſeque ſtetit loco Moſis magiſtri noſtri:* Quale eius officium fuerit, *gloſſa* docet,

PETR. CVNAEVM de *rep. Ebr. libr.* I. *cap.* 12. cum not. NICOLAI p. 510. edit. VGOLINI; AVG. CALMETVM *diſſertat. & proleg. in ſcript. ſacr. tom.* I. p. 89. IOANN. LEVSDENIVM *philol. ebræo-mixt. diſſertat.* XLVI. IO. GEORG. PRITIVM *introd. in lect. nou. teſt.* p. 556. edit. HOFFMANNI; BLASIVM VGOLINVM *not. in Relandi antiquit. ſacr. part* II. *cap.* VII. *tom.* II. *theſ. antiqu. ſacr.* p. 680. ſqq. aliosque, laudatos a IO. ALB. FABRICIO *bibliograph. antiqu.* p. 479. ſqq. IO. CHRIST. WOLFIO *not. in Lund. iudiſche Heiligth.* p. 526. & CHRISTOPH. KREZSCHMARO *comment. de præſide ſynedrii magni*, p. 5. ſqq.

** de *ſynedr. cap.* I. *§.* 3. p. 4.

cet, quam IOANN. COCCEIVS *** ita recitat: הנשיא הוא היה בעל הורשה ומלמד תורה ברבים *Nasi est is, qui publice legis interpretandæ potestatem habet*; fusius autem rem explicat R. DAVID GANZ, * ita vt simul de communi Iudæorum sententia, principes illos itidem ex familia Dauidica fuisse oriundos, perspicuum perhibeat testimonium. Hæc sunt eius verba: כי היה המנהג בירושלים שעם היות המלכות מבית חשמונאים ואחריהם מבית הורדוס הנה תמיד היה נשיא מבית דוד כי המלך היה המוציא והמביא במלחמה ועל דברי המלכות אבל כל דברי תורה חקים ומשפטים על פי הכ״ג והנשיא מבית דוד היו נעשים, quæ ita latine vertit GVIL. HENR. VORSTIVS: ** *erat enim mos Hierosolymis, quod, licet regnum esset e familia Chasmonæorum & post illos e domo Herodis; tamen perpetuo esset nasi, quia rex egrediebatur atque intrabat cum militia idque ob negotia regni; sed legis statuta atque iudicia perficiebantur ex præscripto summi sacerdotis & principis ex familia Dauidis.* Certum ergo est, principem synedrii, quum Hierosolymis

 non-

*** *not. in sanhedr.* p. 39.

* *zemach. Dauid fol.* 24. b.

** p. 84.

conuentus illi haberentur, maxima ſemper valuiſſe auctoritate; nec ſolum in ſemicirculo, in quo conſidebant, locum medium huncque primarium occupaſſe, ita vt אב בית דין *pater ſynedrii* ad dextram ac חכם qui per eminentiam *ſapientis* nomine vtebatur, ad ſiniſtram eſſet; *** ſed ſingularem etiam, eum ſalutandi, ritum introductum fuiſſe. * Viri docti, vt breuiter id moneam, grauiſſime inter ſe diſſentiunt, num pontifex maximus idem fuerit cum principe ſynedrii. Qui id ſibi perſuadent atque exiſtimant, pontificem maximum ſemper ſimul officio principis functum fuiſſe, iis innituntur argumentis, quæ licet a IO. GERH. MEVSCHENIO ** diligentiſſime conquiſita & copioſe enarrata ſint; parum tamen habent ponderis ad conciliandam errori veritatis ſpe-

*** conf. IO. SELDENVM de *ſynedr. libr.* II. *cap.* 6. p. 663. ſqq. & quem caute legas, IO. MORINVM *exerc. biblic.* II. *exerc.* 4. *cap.* I.

* conf. tract. miſchnic. *horaioth. cap.* III, & COCCEIVM *dict. loc.* p. 37.

** *diatr. de* נשיא quam, ſeparatim Coburgi anno MDCCXXIV. editam, *nouo teſt. ex talmud. illuſtrat.* adiecit p. 1284.

ſpeciem. Rectiora ſane docuerunt IOANNES SELDENVS *** & qui contra MEVSCHENIVM diſputauit, venerandus Lubecenſium præſul, IO. GOTTL. CARPZOVIVS. * Argumentis tamen, quæ ad confirmandam veram ſententiam adtulerunt, liceat vnicum MAIMONIDIS ** addere teſtimonium, omni controuerſiæ, ſi quid iudicamus, idoneum componendæ. Quum enim enarrat eos, qui muneri adſeſſoris vel apti; vel inepti habeantur, expreſſis verbis ſubiicit. אבל מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בחכמה *conſtituebant pontificem maximum; ea autem lege, vt excellens ſit in ſapientia.* His enim recta concludendi ratione ea confici poſſe, quæ probari debent, quis eſt, qui non videat?

§. VIII.

Synedrium magnum, cuius præſes fuit princeps, haud parum de ſua poteſtate amiſit, quum Romani non ſolum prouincias Iudæorum ſibi ſubiicerent; ſed etiam ſeditionibus incolarum,

*** de *ſynedr. libr.* II. *cap.* 15. §. 14. p. 937.

* *adparat. antiqu. ſacrar.* p. 553.

** de *ſynedriis cap.* II. p. 10.

rum, ad quæuis mala perpetranda iam excitatorum, ad id adducerentur, vt sensim priuilegia ac iura illis ademerent. *** Euersa vrbe Hierosolymitana ac Iudæorum republica penitus exstincta, omnis quoque synedriorum pote-

*** quæstio: qualis synedrii magni potestas tempore Romanorum fuerit, inter viros doctos ita est controuersa, vt scriptionis huius rationibus penitus contrarium sit, de ea fusius dicere. Qui plura de hac re scire cupiunt, adeant scriptores, a IO. CHRIST. WOLFIO in *cur. philol. & critic. in Ioann.* p. 965. & PETRO ZORNIO *histor. fisc. Iudaic.* p. 214. sqq. laudatos. His tamen addant: NATH. LARDNERVM *fid. histor. euangel. part.* I. *libr.* I. *cap.* 2. p. 49. edit. WOLFII: IO. PHIL. BARATTIERIVM in *dissertat. sur l'autorité des Juifs & particulierement en Judée*, quæ inter laudatas *dissertationes*, BENIAMINIS *itinerario* illustrando sacratas, tertium locum obtinuit, *tom.* II. p. 88. sqq. ven. CONR. IKENIVM *diss. de iure vitæ & necis tempore mortis seruatoris apud Iudæos non amplius superstite*, Bremæ an. MDCCXL. edita & celeberrimum SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVM *not.* 310. *tom.* IV. *histor. uniuers.* p. 369. Tempore sane, quo dulcissimus seruator mortem obiit, ius vitæ & necis Iudæis ademtam fuisse, ipse demonstraui in *diss. de Felice Iudææ procuratore* §. IX. p. 24. sqq.

poteſtas ſublata fuit; ſolo tamen nomine relicto atque, quum iudicio ante ſupremo eſſet proprium, ad ſcholas publicas translato. Quum enim ea fuit ſynedriorum ratio, vt non ſolum eſſent בתי דינין, *domus iudiciorum*, in quibus ſententia de cauſſis ciuilibus & ſacris dicebatur; ſed etiam בתי מדרש ſiue potius ſua haberent auditoria, * in quibus de rebus dubiis & controuerſis a magiſtris diſputaretur, facile accidit, vt docendi diſceptandique poteſtate conſeruata, ſcholæ eorum priſtina nomina ישיבה, סנהדרין, בית דין *ſynedrii, academiæ* & *domus iudicii* retinerent. Docebantur ſane ibi Ebræorum leges, quamuis ius, illis contentum, nefas eſſet exerceri, & qui iudices eſſe deſierant; manebant tamen iuſti & æqui doctores. ** Temperamus nobis, quominus ea, quæ breuiter diximus, fuſius comprobemus ac contra noſtram voluntatem ad ea diuagemur, quæ minus

* conf. IO. SELDENVM de *ſynedr. libr.* II. *cap.* IO. LIGHTFOOTVM in *hor. ebraic. & talmud. in luc.* II, 46. *tom.* II. *oper.* p. 500. & CAMP. VITRINGAM de *ſynagog. vet. libr.* I. *part.* I. *cap.* 7. p. 158.

** legas laudatum VITRINGAM *dict. loc.* p. 163.

minus arctiori vinculo cum nostro argumento cohærent. Quam ob caussam id potius monemus, simili ratione rectorem quoque academiarum perinde, vt synedrii præsidem, adpellatum fuisse נשיא siue principem. Luculentum hanc in rem exstat R. ABRAH. BEN MAIMON *** effatum: ומי שהוא ראש ישיבה בארץ ישראל נשי אקרינן ליה *& in quicunque est rector academiæ terra Israelitica, eum vocamus principem.* Nec displicet *glossa* talmudici loci, quam supra notamus. Dicitur enim de principe, quod sit בעל הדרשה ומלמד תורה ברבים *dominus disquisitionis & doceat legem publice.* Idem obseruarunt CAMP. VITRINGA, * IAC. RHENFERDIVS, ** ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS *** atque alii.

§. IX.

Quum staret adhuc Iudæorum respublica, non vnum illis præfuit synedrium, sed plura eaque minora exstitisse & synedrio magno subiecta, non est,

*** in *epistol. ad Ioseph.* de qua vide WOLFII *biblioth. ebr. tom.* I. p. 87.
* *cit. loc.*
** *diss.* II. *de decem otiosis cap.* IV. §. 10.
*** *adparat. antiqu. sacr.* p. 552.

est, cur dubitemus. * Vt rem vnico illustremus exemplo, R. PINEHAS ** auctor fuit, se hæc accepisse a R. Vschaia: שלוש מאות ותשעים וארבעה בתי דינין היו לירושלים, כנגדן בתי כנסיות וכנגדן בתי מדרשות וכנגדן בתי סופרים *trecentæ nonaginta quatuor domus iudiciorum sunt Hierosolymis: totidem synagogæ: totidem academiæ & totidem domus scribarum.* Præterea, quum MAIMONIDIS iudicio diuina lege sit constitutum, vt Israelitæ in terra sancta vbiuis suos haberent iudices, mirum sane non est, euersa quoque republica, quum Iudæi, in terra sancta residui, vires quasi iterum colligerent, insignem fuisse academiarum numerum. Academias vti in locum synedriorum surrogatas fuisse, persuasum habemus; ita facili coniectura adsequimur, præcipuam inter illas & omnino principem fuisse, in qua spirabant quasi synedrii magni ruinæ. Haud piget, breuiter heic & sum-

* de synedriis minoribus, quorum alia XXIII. alia tribus viris constituebantur, legatur IO. SELDENVS de *synedriis libr.* II. *cap.* 5.

** *cethub. Babyl. fol.* 104. a.

ſummatim perſequi, quæ IO. SELDENVS *** & IO. LIGHTFOOTVS * copioſe & erudite enarrarunt. Synedrium, varias expertum viciſſitudines, expugnata vrbe, beneficio Titi imperatoris ſedem certam tandem habuit in vrbe Iaſnenſi. Ea tempeſtate R. Iochanan ben Saccai, R. Gamaliel, R. Akiba aliique præſidis functi ſunt officio. Deinde migrauit ſynedrium ad Vsham & Sepharaam: breui tempore interiecto, R. Iuda ſanctus, eadem dignitate conſpicuus, modo apud Beth-ſchaaraim, modo in vrbe Tſipporenſi; modo Tiberiade ſynedrii domicilium collocauit. Hinc patet, quænam origines celeberrimarum in Iudæa academiarum fuerint, Iaſnenſis ** quippe,

*** de *ſynedriis libr.* II. *cap.* 15. p. 835

* *tom.* II. *operum* p. 142. ſqq. Breuiter R. MOS. BEN MAIMON: וכשנקלקלה השורה גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן לטבריא, *turbato ordine migrarunt ex loco in vnum: in decem loca migrarunt, eorumque vltimus fuit Tiberias, de ſynedr. cap.* XIV. §. 12. p. 88.

** conf. LIGHTFOOTI *hiſtor. academ. Iaſnenſ.* p. 87. *oper. anecdot.* & clariſſimi SPERBACHII *diſſ. de acad. Iaſnenſi.*

pe, Tſipporenſis *** & Tiberienſis,* quæ in rabbinorum monimentis ſæpenumero commemorantur. His additæ fuerant Bitterenſis, Magdalenſis, Lyddenſis, Cæſareenſis &, ſi quæ ſunt, aliæ, in quibus enarrandis operam ſuam poſuerunt: IAC. ALTINGIVS, ** IVL. BARTOLOCCIVS, *** IO. CHRIST. WOLFIVS, * cel. IAC. BRVCKERVS ** & ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS. *** Ex earum numero maxime eminuiſſe ſcholam Tiberienſem, ſatis certum eſt. De hac enim egregia ſemper fuit Iudæorum exiſtimatio, quam his verbis ſigni-

*** conf. LIGHTFOOTVM *centur. chorograph. Matth. præmiſſ. cap.* LXXXII. *tom.* II. *oper.* p. 229.

* conſul. IOANN. BVXTORFIVM *commentar. maſoreth. cap.* V. p. 20. & IO. CHRIST. WOLFIVM *biblioth. ebr. tom.* I. p. 205. ſqq. eique adde fere omnes de maſoræ origine ſcriptores.

** *tom.* I. *oper.* p. 243.

*** *biblioth. oriental. part.* III.

* *biblioth. ebr. tom.* II. p. 920.

** *hiſtor. critic. philoſ. tom.* II. p. 814. ſq.

*** *adparat. antiqu. ſacr.* p. 123.

ſignificauit R. ABRAH. SACCVTVS: * ורבי היה עם שבעים סנהדרין בבית שערים ובטבריה ובציפורי וטבריה עמוקה מכלם ושם גלתה הסנהדרין גלות עשירי & *Rabbi*, id eſt, Iuda ſanctus, *fuit cum ſeptuaginta iudicibus in Bethſchearim, Tiberiade & in Zipori. Tiberias autem ceteris omnibus eſt profundior. Nam eo translatum fuit ſynedrium magnum transportatione decima.* Ad hæc recte capienda omnino facit R. MOSIS BEN MAIMON ** de eadem ciuitate effatum: ומשם לא עמד בית דין גדול עדעתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחילה ומשם נעתקין למקדש, *ex eo tempore*, a quo Tiberiade fuit ſynedrium, *non exſtitit ſynedrium magnum vsque ad hoc tempus. Sed traditio nobis eſt, fore, vt Tiberiade inſtauretur & exinde transferatur in templum.* Cauſſa ergo, cur academia Tiberienſis ceteris antecelluerit, in eo fuit poſita, quod ſynedrii magni præ ſe ferret ſpeciem. Quo factum eſt, vt rectores academiæ non ſolum per eminentiam honorifico nomine נשיא ſiue *principis* ornarentur; ſed etiam maxima apud ciues ſuos valerent auctoritate. De priori ſententia conue-

niunt

* *iuchaſin fol.* 21. b.

** de *ſynedriis cap.* XIV. §. 12. p. 88.

niunt viri docti: RICH. SIMONIVS,*** CAMP. VITRINGA, * IAC. RHENFERDIVS, ** IAC. BASNAGIVS, *** PETR. ZORNIVS, * alii. Quum alia huius rei non ſuppetant documenta, ſatis erit, ad ea prouocare, quæ de ſucceſſione principum ſuorum memoriæ prodiderunt hiſtorici Iudæorum. R. DAVID GANZ** de Iuda ſancto, quem Tiberiadem transtuliſſe academiam, vidimus, hæc ſcripſit: והיה לנשיא ולראש הישיבה עם שבעים סנהדרין בא״י & *fuit princeps & rector academiæ cum ſeptuaginta ſynedrii adſeſſoribus in terra Iſraelitica:* de R. Gamaliele III. *** ר״ג הבל נשאתו בחיי אביו *R. Gamaliel accepit principatum ſuum, quum pater viueret*, & alio loco, quem infra illuſtrare, animus eſt, ſingulos enumerat principes, quos eosdem eſſe cum rectoribus academiæ Tiberienſis, nemo dubitat.

 §. X.

*** in *collat. cærim. Iudaic.* p. 57.

* de *ſynagog.* p. 522. & de *decem otioſis* p. 277.

** *diſſ.* II. *de decem. otioſis* p. 195.

*** *hiſtoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 2. §. 5.

* *hiſtor. fiſci Iudaic.* p. 389.

** *zemach Dauid.* p. 30. a.

*** p. 30. b.

§. X.

Hæc est eorum summa, quæ de principibus Iudæorum occidentalium eorumque dignitate in monimentis rabbinicis tradita sunt. Quamuis ex his non satis pateat, instauratam fuisse ac pedetentim in pristinum locum restitutam principum auctoritatem, ita vt permissa Iudæis liberiore ad leges suas vi uendi ratione, ipsi hi principes supremum quasi inter eos gererent magistratum; aliis tamen testimoniis facile id conficitur, de quorum fide nihil suo iure derogari potest. De christianorum doctorum effatis dicta hæc sunt, quibus aperte significant, tempore ipsorum Iudæis præfuisse principem; nec exiguam eius fuisse potestatem. Hæc quum in alium locum reseruare decet, vnum ex multis adferamus ORIGENEM, * quod is solus adcurate rem mente concepit recteque his verbis expressit: *καὶ νῦν γοῦν Ῥωμαίων βασιλευόντων καὶ Ἰουδαίων τὸ διδραχμὸν αὐτοῖς τελούντων, ὅσα, συγχωροῦντος καίσαρος, ὁ ἐθνάρχης παρ' αὐτοῖς δύναται, ὡς μηδὲν διαφέρειν βασιλεύοντος τοῦ ἔθνους,* ἴσμεν

* *epist. ad African.* §. 14. *tom.* I. *oper.* p. 28. ed. DE LA RVE.

ἴσμεν οἱ πεπειραμένοι, certe tunc temporis Romanis imperantibus & Iudæis didrachmam ipsis pendentibus, quanta permissu cæsaris ethnarcha apud ipsos possit, vt non aliter viuant; quam dum regnaret ille populus, id experti scimus. Equidem non dubito, vocem ἐθνάρχης hoc loco non honoris; sed officii esse nomen latiusque patere, ita vt singulari ethnarchæ dignitati proprium nomen haud sit. Viderunt hoc NICOL. FVLLERVS ** & CAMP. VITRINGA ***

§. XI.

Denique hoc loco commemorandum esse, censeo, viros doctos grauiter dissentire, num Iudæi Aegyptii quoque ethnarcham suum; aut æchmalotarcham habuerint; nec ne? CAMP. VITRINGA * adfirmare id, sibi sumsit; rationibus tamen eius parum ponderis inesse, quisque videt. STRABONIS testimonium, cuius IOSEPHVS ** custos est, minus apte in hunc locum adducitur.

** *miscell. libr.* IV. *cap.* 16.

*** de *synagog. vet.* p. 559.

* *cit. loc.* p. 522. & 559.

** *antiqu. Iud. libr.* XIV. *cap.* 12.

citur. Ille de Iudæis Alexandrinis ante euerſam rempublicam Iudæorum; nos de eo ſpatio loquimur, quod triſte illorum exitium conſequutum eſt. ADRIANI imperatoris epiſtolam eidem coniecturæ magis contradicere, quam eam confirmare, paucis interpoſitis, demonſtrabimus. Multo minus huic controuerſiæ componendæ aptum eſt effatum R. BENIAMINIS DE TVDELA *** de duabus in ciuitate Mizraim ſynagogis: ובניהם רבי נתנאל שר השרים ראש הישיבה והוא ראש לכל קהלות מצרים להקים רבנים וחונין *utrique ut ſummus princeps præeſt R. Nathanael, rector academiæ, & eſt caput omnium cœtuum Aegypti, ut magiſtros & lectores creet.* Hæc enim longe inferiora ſunt ætate, qua Tiberienſis academia floruit eiusque rectores principis Iudæorum dignitatem ſibi adquiſiuerunt. Contraria ſane his ſunt, quæ MAIMONIDES, * ipſe doctor Aegyptius, ita perhibet: אין סומכין זקנים בחוצה לארץ ואף על פי שאלו הסומכין נסמכו בארץ ישראל *non ordinabant ſeniores extra terram, ne quidem ab ordinantibus, qui ſatis rite ordinati fuiſſent, intra terram.*

*** *itinerar.* p. 115.

* de *ſynedr. cap.* IV. p. 23.

ram. His si addimus, neminem doctoris nomen consequi potuisse; nisi consentiente principe, vereor, ne BENIAMINIS princeps principum inter aniles fabulas ac somnia rabbinica referatur. Ipse VITRINGA ingenue confessus est, contra hanc sententiam pugnare ORIGENEM, nonnisi vnum patriarcham commemorantem. Rectior igitur & veritati adcommodatior mihi videtur coniectura IAC. BASNAGII, ** Aegyptios perinde ac ceteros Iudaeos, qui in prouinciis imperii Romani commorabantur, potestati principis Tiberiensis fuisse subiectos.

** in *histoir. des Juifs tom.* II. p. 669.

CAPVT QVINTVM
EXPONENS
QVINAM FVERINT IVDAEORVM PATRIARCHAE.

ΣΥΝΟΨΙC

Primum recensentur veterum scriptorum testimonia de patriarchis Iudæorum, tam christianorum §. I. II.

Quam paganorum & in his præcipue de vexatissimo *Vopisci* loco disputatur §. III.

Deinde de variis eruditorum, quinam fuerint patriarchæ, sententiis differitur §. IV.

Atque ex illarum numero ea probatur, qua duos Iudæis fuisse patriarchas §. V.

Alterum in oriente; alterum in occidente vixisse, creditur §. VI.

§. I.

Ne ea, quæ proxima commentationis nostræ sectione disputauimus, sine caussa & frustra disputasse videamur, siquidem, cur ea ad nostrum argumentum referantur, non satis patet, ad rem ipsam accedimus ac quænam patriar-

patriarcharum fuerit dignitas: quales officii rationes, iusto ordine exponere, adgredimur. Exspectationi lectorum nos satisfacturos esse, putamus, si varias atque inter se discrepantes virorum doctorum sententias strictim recenseamus easque diiudicemus & quænam ex illis ad veritatem maxime accedat, firmis argumentis demonstremus. Atuero quum præter leges imperatorum, supra a nobis recitatas, alia quoque de patriarchis supersunt vetustatis monimenta, ante omnia veterum scriptorum effata, quibus memoria illorum ad nos transmissa fuit, notare, animus est, vt eo rectius, quid vere de eis statuendum sit, queat perspici.

§. II.

Scriptorum, qui de patriarchis Iudæorum nobis reliquerunt testimonia, duplex est genus. Alii ex christianorum doctorum ordine sunt: alii profani ac superstitioso idolorum cultui addicti. Illis primum lubet adsignare locum. ORIGENI duo: immo tria accepta ferimus effata, quæ ad hanc rem spectant. Quum in explicando psalmo LXXXIX. studia sua collocaret ac

nonnulla ipſi viderentur obſcuriora & difficilia, de iis ſe conſuluiſſe Iudaeorum patriarcham, ita teſtatus eſt: * τὸ ὕστερον δὲ ἀνακινούμενος περὶ τινῶν λογίων Θεοῦ, Ἰούλλῳ, τῷ πατριάρχῃ καί τινι τῶν χρηματιζόντων παρὰ Ἰουδαίοις σοφῶν, κ.τ.λ. *deinde autem quaeſtionem mouens de quibusdam dei oraculis Iullo patriarchae & cuidam apud Iudaeos ſapientis famam habenti.* Hunc locum notauit iam HIERONYMVS ** & paucis ante poſitis, narrat, ORIGENEM alibi eiusdem Iulli patriarchae feciſſe mentionem. Ait enim: *certe etiam Origenes patriarchen Huillum, qui temporibus eius praefuit, nominat & triceſimum tomum in Iſaiam, in cuius fine ediſſerit: vae tibi Ariel, ciuitas, quam expugnauit Dauid, eius expoſitione concludit.* De Iullo iam diſputare, nobis quidem non animus eſt; ſed in alium locum id differre. IAC. GOTHOFREDVS, *** CAMP. VITRINGA *

* conf. ORIGENIS *fragmentum commentar. in pſalmos*, quod CAROLVS DE LA RVE primus in lucem produxit atque in *tom.* II. *operum* eius tranſtulit, p. 514.

** *libr.* I. *aduerſ. Ruffin. tom.* IV. *part.* 2. *oper.* p. 363. edit. MARTIANAEI.

*** *not. in cod. Theodoſ. tom.* VI. *part.* I. p. 239.

GA* atque alii tertium his addunt ORIGENIS effatum. Nec bene; nec male id huc adduci posse, nobis persuademus. ORIGENES quidem de patriarchæ dignitate sermonem fecit; sed nomen haud expressit; addidit autem RVFFINVS, latinus librorum ORIGENIS interpres. Quæ enim de Iudæis hic ita scripsit: ** φάσκοντας τὸν ἐθνάρχην ἀπὸ τοῦ Ἰούδα γένους τυγχάνοντα ἄρχειν τοῦ λαοῦ, ea ille his latinis verbis reddidit: *dicunt, permanere adhuc ex genere Iudæ, istum videlicet, qui est gentis eorum princeps, quem nominant patriarcham.* Origeni adiungimus HIERONYMVM, *** parum honorifice de patriarchis Iudæorum differentem. Esaiæ enim oraculum: *effeminati dominabuntur eis*, dum exponere suscipit, tum: *consideremus*, inquit, *patriarchas Iudæorum & iuuenes; siue pueros, effeminatosque ac deliciis adfluentes & impletam prophetiam esse, cernemus.* Debuit hæc HIERONYMVS EVSEBIO

* de *synagog.* p. 523.

** de *princip. libr.* IV. *cap.* 3. *tom.* I. *oper.* p. 153. edit. DE LA RVE

*** *commentar. in Esai libr.* II. *tom.* III. *oper.* p. 36.

SEBIO *Cæsareensi*,* qui eamdem ESAIAE vaticinium interpretandi iniit rationem: τὶς ἓν ὁρῶν τὲς παρὰ Ἰεδαίες ὀνομαζομένες πατριάρχας, νεανίσκες ἀληθῶς, ἐ τὴν τῶν σωμάτων ἡλικιαν ἀλλα τὰς ψυχὰς ἀτελεῖς καὶ ἐνδεεῖς φρενῶν, *quis ergo, conspectis iis, qui apud Iudæos patriarchæ vocantur, non corporea statura; sed animi imperfectione ac mentis indigentia iuuenes eos nuncupet?* Similia de illis tradidit IOANNES *chrysostomus.* ** Vocat enim patriarchas καπήλες, ἐμπόρες καὶ πάσης παρανομίας γέμοντας, *caupones, negotiatores atque omni iniquitate plenos*, ac paucis interiectis ita pergit: ἵνα μαθῃς, ὅτι ἔτοι οἱ νῦν πατριάρχαι παρ' ὑμῖν λεγόμενοι, ἐχ ἱερεῖς εἰσιν ἀλλὰ ἱερεῖς ὑποκρίνονται καὶ παίζεσι καθάπερ ἐν τῇ σκήνῃ, *vt intelligas, quod qui nunc apud vos dicuntur patriarchæ, non sint sacerdotes; sed per simulationem sacerdotum agant personam; nec aliter ludant; quam histriones in scena.* Accedit CYRILLVS *Hierosolymitanus*, qui

* *comm. in Esaiam*, quem primus edidit BERN. DE MONTFAVCON in *coll. nou. patr. Græc. tom.* II. p. 368. conf. MONTFAVCONIVM *præfat.* operi huic præmissa, *cap.* IV. p. 354.

** *homil.* VI. *aduers. Iudaos, tom.* I. *oper.* p. 656. edit. MONTFAVCONII.

qui acriter contra Iudæos diſputauit, atque inter inepta eorum commenta retulit, quæ de illuſtri patriarcharum ſuorum ortu confinxerunt. Grauiter ſane hæc ab eo ſunt pronuntiata: *** αἰσχύνομαι γὰρ λέγειν αὐτῶν τὰ πρόσφατα περὶ τῶν καλουμένων παρ᾽ αὐτοῖς νῦν πατριαρχῶν πράγματα, καὶ τί τὸ τούτων γένος, καὶ τίς ἡ μήτηρ; *pudet me, obiicere illis recentia debis, quæ nunc apud illos vocantur patriarcharum inſtituta, & quod nam eſt eorum genus? quæ mater?* Porro memorabilis eſt EPIPHANII de Ioſepho, Iudæorum apoſtolo, ad chriſtiana ſacra conuerſo, narratio. Huius ſupra iam fecimus mentionem; nec tamen alienum eſt a noſtri inſtituti legibus, ſingulas eius partes, quæ ad patriarchas ſpectant, ſtrictim percenſere. Quum apoſtolos μετὰ πατριάρχην, *poſt patriarcham*; *ſiue ſecundos ab illis eſſe*, dixiſſet, de illis hæc ſubiecit: προσεδρεύουσι τῷ πατριάρχῃ καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, *adſident hi patriarchæ & cum eo*

ſæpius

*** *catech.* XII. §. 7. p. p. 157. *oper.* edit. MILLES.

ſæpius diu noctuque verſantur. * Deinde Hillelem eo tempore patriarchæ munus tenuiſſe; eumque a Gamaliele, in hiſtoria actuum apoſtolicorum commemorato, ortum ac procreatum eſſe: immo ſub vitæ exitum nomen dediſſe chriſto ac ſacro lauacro initiatum fuiſſe, teſtificatur. Copioſe de transitu Hillelis in chriſtianorum caſtra quum diſſeruiſſet, inter alia tradit, commiſiſſe eum filii ſui curam Ioſepho aliique ſpectatæ fidei viro atque ab his omnia adminiſtrata fuiſſe, διὰ τὸ ἔτι τὸν πατριάρχην παῖδα ὄντα νηπιάζειν καὶ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἀνατρέφεσθαι, *quod eſſet puer ac propemodum infans & inter illorum manus educaretur.* ** Paullo poſt eumdem Hillelis filium εἰς πατριαρχίαν τρεφόμενον, *ad ſpem patriarchatus educari*, dixit ac cauſſam opportune addidit: οὐδεὶς γὰρ ἄλλος ἁρπάζει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ιουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πατέρα διαδέχεται, *nemo enim alius magiſtratus apud Iudæos præcipit; ſed filius patri ſuccedit.* *** Porro teſtatur, Iudam patriarcham Ioſephum

* *hæreſ.* XXX. *cap.* 4. *tom.* I. *oper.* p. 128. edit. PETAVII.

** *cap.* VI. p. 130.

*** *cap.* VII. p. 130.

phum apoſtoli munere exornaſſe eumque cum litteris in Ciliciam miſiſſe, vt decimas ac primitias ex qualibet ciuitate peteret. * Ex iisdem EPIPHANII dictis haud obſcure colligitur, Tiberiade eo tempore patriarchæ ſedem fuiſſe. Supereſt denique THEODORETVS, ** Colloquium Eraniſtis & Orthodoxi de grauioribus doctrinæ ſanctioris capitius finxit atque inter alia Eraniſtem narrauit hæc ex Orthodoxo rogaſſe; οἱ καλȣ́μενοι ȣ̂ν τῶν Ιȣδαίων πατριαρχαι ȣ̓κ ἐν τῆς Δαβιτικῆς ὑπαρχȣ̂σι συγγενέιας; *qui dicuntur Iudæorum patriarchæ, nonne ſunt ex Dauidica ſtirpe?* reſpondiſſe ad hæc Orthodoxum, ȣ̓δαμῶς, *nequaquam*: porro Eraniſtem quæſiuiſſe: ἀλλὰ πόθεν ὁρμῶνται; *vndenam igitur ſunt orti?* atque hoc tuliſſe reſponſum: ἐξ Ηρώδȣ τȣ̂ ἀλλοφύλȣ, ὃς πατρόθεν μὲν Ασκαλωνίτης ἐτύγχανεν ὤν, μητρόθεν δὲ Ιδȣμαῖος. Αλλως τε καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησαν καὶ χρόνος διελήλυθεν, ἐξ ȣ̂ καὶ ἡ τȣ́των ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο, *ab Herode alienigena, qui paterna origine Aſcalonita; materna vero Idumæus fuit.* *Praeterea*

* *cap.* XI. p. 134.

** *dialog.* I. *tom.* IV. *oper.* p. 22. edit. Pariſ.

terea illi omnino interierunt & dudum est, ex quo horum quoque principatus finem cepit. Nulla sane subest caussa, cur adsentiamus LVD. ELL. DVPIN, *** qui Theodoretum non de patriarchis, qui post vrbem euersam Iudæis imperarunt; sed de principibus eorum Idumæis, Herode, Philippo, Archelao, ceteris interpretatur. Quis, quæso, hos patriarchas dictos esse, testatus est? His addi possunt testimonium PALLADII, infra notandum, & quæ a MARCELLO EMPIRICO * de Gamaliele patriarcha commemorantur.

§. III.

Quum ad testimonia de patriarchis Iudæorum enarranda accedimus, quæ scriptores, superstitioso plurium deorum cultui addicti, ad nos transmiserunt, tum non potest fieri, quin primo loco ADRIANVM imperatorem nominemus. Exstat eius epistola, admodum memoria digna atque ad Seruianum consulem perscripta, quam FL. VOPISCVS ** ex Phlegontis liberti

*** *diss. de antiqu. eccles. discipl.* p. 10.

* apud GOTHOFREDVM *not. in cod. Theodos.* p. 238.

** *vit. Saturnin.* p. 719. *tom.* II, *scriptor. histor. August.* edit. Hackianæ.

ti voluminibus in commentarios ſuos transtulit. Initium litterarum hoc eſt: *Aegyptum, quam mihi laudabas, Seruiane cariſſime, totam didici leuem, pendulam & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt, chriſtiani ſunt & deuoti ſunt Serapi, qui ſe chriſti epiſcopos dicunt. Nemo illic archiſynagogus Iudæorum: nemo Samarites: nemo chriſtianorum presbyter: non mathematicus: non aruſpex: non aliptes. Ipſe ille patriarcha, quum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare; ab aliis cogitur chriſtum.* Quisquis antiquarum rerum rituumque ſacrorum, quorum diſcrimine Iudæi, chriſti cultores gentesque profanæ ſatis diſtinguebantur, non penitus expers eſt, fateri eum oportet, Adrianum ea tradidiſſe, quæ nullo modo inter ſe poſſunt coniungi, omniaque perturbaſſe. Itaque non miramur, doctorum virorum de vera huius effati ſententia admodum diuerſas eſſe coniecturas; nec eos conuenire, quid de patriarcha Adriani ſtatui debeat. Quatuor eorum claſſes recte conſtitui, nobis videntur. Ad *primam* ii ſpectant, qui patriarcham illum ſuperſtitioſis Aegyptiorum paganorum religionibus præfuiſſe, arbitrantur. Sententiæ huius auctor habetur CAESAR

BARONIVS, *** qui *nomen*, inquit, *antiquissimum est, tum a Iudaeis; tum etiam a gentilibus vsurpatum, quod, sicut alia multa, in ecclesiam feliciter transiit. Non tantum enim Iudaei; sed & Aegyptii vtebantur eo nomine atque primaria dignitate. Nam & Herodotus, quum agit de sacris Aegyptiorum, patriarchas illos nominat, qui principem locum in sacris tenent. Insuper vsus est eo nomine Adrianus imperator, Traiani successor.* Num ea, quae ex HERODOTO adfert, recte sese habeant, hoc loco nequit disquiri; ADRIANI certe testimonium minus est adsequutus. Quis enim credat, pontificem Aegyptiorum maximum vi ad adorandum Serapidem coactum esse? nec memini, vllum virum doctum ad partes BARONII accessisse. Secundae classi viri summi, CLAVD. SALMASIVS * & IS. CASAVBONVS, ** adscribendi sunt, qui Alexandrinum coetus christiani praesulem patriarchae titulo ornari, suspicati sunt. Quam longe vero, qui ita sen-

*** *annal. eccles. ann.* CXII. §. 2. *tom.* II. p. 56.

* cum *tr. de primatu papae cap.* IV. p. 43. tum *not. in Vopiscum dict. loc.*

** *not. in Vopisc. loc. cit.*

ſentiunt, a veritate recedant, grauiſſimis argumentis facile probatur. Alexandrinus epiſcopus non certo tempore in Aegyptum venit; ſed perpetuo Alexandriæ ſuum habuit domicilium; nec ad chriſtum adorandum compelli potuit; ſed ſponte ſua dulciſſimum ſalutis noſtræ auctorem diuino proſequutus eſt cultu. Rectiorem igitur ingreſſi ſunt verba Adriani interpretandi rationem, qui ad *tertiam* claſſem referuntur atque hoc loco de Iudæorum patriarchis cogitandum eſſe, cenſent. Mirifice ſane omnia in Iudæum hominem conueniunt, qui æque a chriſti; atque a Serapidis cultu abhorret. Eorum tamen, qui huic opinioni addictum ſignificarunt animum, duplex eſt genus. Alii ſingularem patriarcham Iudæis Aegyptiis præfuiſſe ac ſedem eius Alexandriæ fuiſſe fixam, contra veterum monimentorum fidem fingunt. Erroneam hanc eſſe ſententiam, quam PETRVS DE MARCA, *** GVIL. BEVEREGIVS, *

*** de *concord. ſacerdot. & imp. libr.* I. *cap.* 3. §. 5. p. 15.

* *adnotat. in canon.* VI. *concil. Nicæn. tom.* II. *ſynodic. part.* 2, p. 52.

CAMPEG. VITRINGA ** & PETR. IOS. CANTELIVS *** defendendam susceperunt. Quum alii antiquiores scriptores patriarchas hos Iudæorum Alexandrinos prorsus ignorant vnumque potius Iudæorum occidentalium exstitisse caput, consentiunt, testimonium certe Adriani probandæ huic coniecturæ haud sufficit. Alii ergo magis ad veritatem accesserunt, qui eumdem Tiberiensem patriarcham hoc loco designari, recte sibi persuaserunt. Commendatur hæc interpretatio non solum sua probabilitate; sed etiam auctoritate virorum summorum, qui in eamdem sententiam ingressi sunt. Quum haud paruus eorum est numerus, ex multis paucos nominasse, satis est atque in his SAM. PETITVM, * SAM. BAS-

** de *synagog. vet.* p. 518.

*** *histor. vrb. metropolit. part* I. *libr.* I. *cap.* 2. p. 8.

* *obseruat. libr.* III. *cap.* 3. p. 280 sqq. Notes, PETITVM sine caussa a viris doctis erroris adcusari, quod Aegyptium patriarcham fingat. Hoc sane loco, quem diligenter perlegi, id, quod contrarium est aperte tuetur.

BASNAGIVM, * IO. CASP. SVICERVM, ** FRID. SPANHEMIVM, *** IO. PEARSONIVM, * IAC. BASNAGIVM, ** IAC. GOTHOFREDVM, *** IOS. BINGHAMVM, * BERN. MONTEFALCONIVM ** & summe venerabilem CHRIST. AVG. HEVMANNVM. *** His iure suo adiungi debent *quartæ* classis scriptores, MATTH. LARROQVANVS, * THOM. ITTIGIVS, ** & vene-

K 3

* *exercitat. anti-Baron.* p. 284.

** *thes. eccles.* voc. πατριάρχης *tom.* II. p. 670

*** *oper. tom.* II. p. 295.

* *part.* I. *vindic. Ignat. cap.* II. apud COTELERIVM *tom.* II. *patr. apostolic. part.* 2. p. 342.

** tum in *histoir. de l'eglise libr.* I. *cap.* 9. §. 8. *tom.* I. p. 47. tum in *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 2. §. 1.

*** *not. in cod. Theod. tom.* I. *part.* I. p. 238.

* *origin. eccles. vol.* I. p. 234. sqq.

** in *antiquité expliquée tom.* II. *part.* 2. *libr.* 3. p. 354.

*** *diss. de S. Hippolyto* §. XI. p. 12. sq.

* in *obseru. ad Pears. vindic. Ignat. cit. loc.*

** *select. capit. histor. eccles. sec.* II. *cap.* 5. §. 5. p. 275.

venerandus pater meus, *** qui necessitatem quidem esse, non negant, patriarcham Iudæis tribuendi; nihilominus peropportune monent, totam epistolam ita esse comparatam tantisque erroribus confertam, vt quid mente conceperit; aut verbis expresserit imperator, nulla diuinatione intelligi possit. Hinc recte colligunt, eam prorsus ineptam esse testimonio, de christianis ritibus perhibendo. Eamdem sententiam nobis quoque haud displicere, non diffitemur ac simili ratione concludimus, auctoritatem huius epistolæ nihil valere ad probanda ac confirmanda ea, quæ de patriarchis Iudæorum per illam probare voluerunt viri docti. Maioris igitur momenti est IVLIANI, Romani imperatoris ac desertoris christianarum religionum, locus, quo *ἀδελφὸν Ἴουλον τὸν ἀδαισιμώτατον πατριάρχην*, *fratrem Iulum, patriarcham omni obseruantia dignum*, commemorat. * Præter hæc, quæ excitauimus, alia in veterum scriptorum monimentis de patriarchis Iudæorum exsta-

*** *histor. eccles. nou. test. sec.* II. *cap.* 3. *sect.* 2. §. 2. p. 756.

* *epist.* XXV. p. 396. *oper.* edit SPANHEMII.

exſtare teſtimonia, nos quidem non recordamur.

§. IV.

Abunde ex his patet, Iudæis primis poſt partum virginis maxime ſalutarem ſeculis omnino præfuiſſe patriarchas, & muneris dignitate & auctoritate illuſtres. Ad quosnam ergo ex Iudæis ſpectet ſplendidiſſimum ac honorificum *patriarchæ* nomen? primaria hoc loco quæſtio eſt; inter viros autem doctos admodum controuerſa. Diuerſas eorum hac de re ſententias nunc animus eſt percenſere. Primo loco de SAMVELIS PETITI * coniecturis diſſeremus, quod is primus diligentius in hoc argumentum inquiſiuit ac ceteris feliciter progrediendi muniuit viam. Olim in ea fuit ſententia vir doctiſſimus, Iudæis multos præfectos fuiſſe patriarchas, qui ſuis ſingulis ἀποδασμοῖς, ſiue prouinciis ſinguli præeſſent. Idem olim HVGO GROTIVS ** ſenſit; facile tamen ei ignoſcitur, quod

 aliud

* *var. lect. cap.* XXIV. *tom.* VII. *crit. Anglic.* p. 367.

** de *imper. ſummar. poteſt. circa ſacr. cap.* X. §. 17. *tom.* IV. *oper. theol.* p. 262.

aliud agendo rem noſtram breuiter ac ſtrictim attigerit. Vt ita crederent, adducti videntur nonnullis patrum teſtimoniis, quæ perperam fuiſſe intellecta, ſatis euidens eſt. Nec opus eſt, confutare dogma, quod veritati contrarium eſſe, ipſe PETITVS perſpexit. Nouam enim protulit, priori perinde ac ipſi veritati refragantem, coniecturam, his vſus verbis: *** *verum re penitus perſpecta & adcuratius expenſa, dicendum eſt, vnum tantum fuiſſe apud Iudæos patriarcham; non autem plures eodem tempore, qui omnibus, vbicumque eſſent, Iudæis præeſſent, quem* נשיא *dixerunt, id eſt, principem: Helleniſtæ patriarcham.* Argumenta, quæ ad confirmanda hæc addit, probandi vi prorſus deſtituta ſunt. Prouocat ad ORIGENEM, cuius verba ſupra dedimus. Vnius principis is facit mentionem. Ergo vnum Iudæis tam occidentalibus; quam orientalibus patriarcham præſediſſe, concludit PETITVS. Reuera hoc probandi genus eſt, quod a ſilentio duci, philoſophi dicunt illudque nimis fallax eſſe, demonſtrant. Inſignis ſane eſt error, nullum fuiſſe in occidentalibus partibus Iudæorum patriarcham; ſed omnes vni eique orientali

*** *obſeruat. libr.* III. *cap.* 3. p. 287.

entali paruisse. Adducit quidem legem THEODOSII * hæcque eius verba: *hoc, quod de occidentalibus partibus patriarchis conferri consueuerat*, eaque de patriarchis orientalibus interpretatur; sed pugnat contra eum legis initium, quo traditur, *patriarchas excessisse*. Id nequaquam in orientales cadit, quorum imperio seculo XI. finem fuisse impositum, certum est. Præterea manifesto sibi ipse contradicit noster. Concedit enim, Ebraicum nomen, נשיא idem esse; ac Græcum *patriarcha*. Atqui supra demonstratum fuit, illud æque principi Tiberiensi, ac æchmalotarchæ Babylonico tribui. Consequens ergo est, vt patriarchæ vtriusque communis sit titulus. Imperatores certe de patriarchis Iudæorum promulgarunt leges eosque in ciuium suorum numerum retulerunt; patriarchæ autem orientales non Romanis; sed Persis eo tempore paruerunt. PETITO iure suo adiungendus est FRID. SPANHEMIVS **

* *l.* 17. *cod. Theod. de Iudæis.*

** *tom.* I. *oper.* p. 952. Idem PETR. DE MARCA de *concord. sacerd. & imp.* p. 15. sibi persuasit. IS. CASAVBONVS *exerc.* I. *in annal. Bar.* §. 2. p. 17. quid de hac re sentiat, nolim definire.

iunior, celebris inter Reformatos theologus, inter quem & PETITVM hoc conuenit, vnum fuisse Iudæorum patriarcham. Atuero quum bene ipsi esset cognitum, nullo modo negari posse, quod in imperii Romani prouinciis suum habuerint patriarcham Iudæi, duos fuisse patriarchas, occidentalem & orientalem, concedit; eos tamen sibi inuicem successisse, ita vt alter in alterius, orientalis in occidentalis locum surrogaretur hincque eodem tempore nonnisi vnus exsisteret. Falsam tamen hanc esse, controuersiam componendi, viam, chronologicæ & academiarum Israeliticarum & Babylonicarum rationes docent, quippe quas ætate omnino fuisse coniunctas, iamiam confecimus.

§. V.

Nullum ergo dubium est, quin magis illi ad veritatem accedant, qui duos Iudæorum patriarchas fuisse, existimant. Quum nec illi omni ex parte consentiant, haud abs re est, diuersas eorum sententias adcuratius exponere. IACOBVS GOTHOFREDVS * de pa-

* *not. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 238. sq.

patriarchis nostris credidit, eosdem esse cum principibus, quos Iudæi נשיאים adpellant: duplex fuisse patriarcharum genus, alios aliis superiores: alios maiores; alios minores: minorum in variis imperatorum legibus fieri mentionem: ** iisdem certos fuisse ἀποδασμοὺς, siue πατριαρχίας, quibus præfecti essent: maioribus maiorem fuisse & honoris dignitatem & muneris amplitudinem auctoritatemque: plures fuisse patriarchas maiores, Babylonienses quippe & Tiberienses. Idem fere statuit IAC. BASNAGIVS. Quamuis enim aperte doceat, *** vtramque Iudæorum nationem, tam orientalem; quam occidentalem, principes sibi constituisse, horumque occidentalem *patriarcham*; vocari alibi * tamen simili ratione patriarchas minores a maioribus discernit illosque horum potestati subiectos fuisse, monet. Inter alia hæc tra-

** huc refert *l.* 1. 2. & 13. *cod. Theod. de Iudæis.*

*** *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* I. §. 2.

* *ib. cap.* II. §. 6. Quem ducem sibi elegit, sequitur hoc quoque loco perillustris HOLBERGIVS *hist. Iud. tom.* II. p. 358. & p. 367.

tradit: *le patriarche avoit sous lui des officiers considerables, dont les uns s'appelloient, comme eux Rosch Abbot, patriarches ou chefs des peres & les autres etoient des Apotres.* Velim sane, virum celeberrimum vel vnicum talmudicorum; aut rabbinicorum scriptorum de ראשי אבות *capitibus patrum*, quos memorat, adduxisse testimonium. Mihi quidem numquam nomen illud occurrit; neque ab aliis notatum esse, memini, adeo vt caussa sit, cur inter figmenta ea referenda esse, censeam, quæ de illis disserit BASNAGIVS. GOTHOFREDVS, qui nihil prætermisit, quod ad confirmandam suam sententiam valere, putabat, nonnisi tria imperatorum edicta excitauit, quasi in illis de patriarchis minoribus perhiberentur testimonia. Vtrique priori parum ponderis inest. Quum in *prima* lege recensendorum Iudæorum procerum hic ordo seruatur: *Iudæis & minoribus eorum & patriarchis*; in *secunda* vero hæc leguntur: *qui deuotione tota synagogis Iudæorum, patriarchis; vel presbyteris se dederunt*, sicque non solum de patriarchis adhibetur numerus multitudinis, vti in scholis grammaticorum loquuntur; sed etiam patriarchæ post maiores nominantur, vtrumque in נשיא siue patriar-

patriarcham illum, quem vocat, maiorem non conuenire, arbitratur hosque ab illo distinguendos esse, colligit. Quisquam tamen videt, *maiorum*, heic & alibi *,* commemoratorum, nomen latius patere & idem esse; ac *procerum Iudæorum*, quorum itidem in legibus imperatorum sit mentio.*** Quodsi malis CAMP. VITRINGAM * sequi, qui per maiores intelligi, credit, laicos synagogarum rectores & consules, qui פרנסים vocantur, non repugnabimus; certum tamen est, minus recte ex ordine, quem tenuerunt imperatores, colligi, patriarchas illis fuisse inferiores. Simili modo *hierei*, *archisynagogi & patres synagogarum* enumerantur, ** quamuis archisynagogi, patres synagogarum & archierei sine omni dubitatione hiereis antecesserint, vt recte, quem laudauimus, VITRINGA *** contendit, licet aliam tueatur sententiam GOTHOFREDVS. Nec apte ex multitudinis nume-

** *l.* 23. *cod. Th. de Iudæis* & *l.* 3. eiusdem *codicis ne christian. mancip. Iudæus hab.*

*** *l.* 10. *cod. Theod. de Iudæis.*

* de *synagoga veter.* p. 590.

** *l.* 4. *cod. Th. de Iudæis.*

*** de *decem otiosis* p. 268.

numero id probari poteſt, quod probare ſuſcepit. Pertinuit ſane lex non ſolum ad patriarcham, qui ea tempeſtate ſummam rerum adminiſtrabat; ſed ad eos etiam, qui inſequuti ſunt. Alibi * *clariſſimorum & inluſtrium patriarchorum* fit mentio, quos recte de maioribus ſuis patriarchis interpretatus eſt idem GOTHOFREDVS ** ac PETITO, ſecus ſentienti, contradixit. Maiorem probabilitatis ſpeciem præ ſe fert lex decima tertia, quæ aperte duplex genus patriarcharum fuiſſe, teſtari videtur. Hæc enim ibi inuenimus ſcripta: *nos interea in conſeruandis eorum priuilegiis veteres imitemur, quorum ſanctionibus definitum eſt, vt priuilegia his, qui inluſtrium patriarcharum ditioni ſubiecti ſunt, archiſynagogis patriarchisque & presbyteris ceterisque, qui in eius religionis ſacramento verſantur, nutu noſtri numinis perſeuerent ea, quæ venerandæ chriſtianæ legis primis clericis ſanctimonia deferuntur.* Quisquis ſine partium ſtudio hæc conſiderauerit, velit nolit, fateatur, oportet, valde obſcura ea eſſe. SAM. PETITVS ***

pri-

* *l.* 8. & 13. *cit. tit.*

** *dict. loc.* p. 246.

*** *var. lect. cap.* 24. p. 369.

primus corruptum esse locum, suspicatus est: *nos*, inquit, *e litterarum ductu emendandum putamus hoc modo: archisynagogis patri, hiereisque ac presbyteris.* Opposuit se ei GOTHOFREDVS, * nihilominus addit: *probabilius quis reponeret archisynagogis archiereisque* atque ad LAMPRIDIVM ** prouocat, cuius hoc est effatum: *quodam tempore festo, vt solent, Antiochenses, Aegyptii Alexandrini, lacessiuerant eum conuiciolis, Syrum, archisynagogum, eum vocantes archihiereum.* Accessit ei IAC. RHENFERDIVS *** ac postquam patriarchas nouos ex synagoga proscripserat locumque nostrum plane in mendo cubare; nec *patrem* PETITI admittendum esse, docuerat; vocem *hiereisque* omnino restitui oportere, monet. Grauiter id quidem tulit VITRINGA * ac contra emendandi veterum monimenta temerariam libidinem verbosius declamat; re ipsa tamen nihil adfert, quod ad tuendos *patriarchas*

* *not. ad hanc legem* p. 250.

** *vit. Alex. Seu. cap.* 28.

*** *diss.* II. *de decem otios. cap.* IV. §. 26. sqq.

* de *decem otiosis* p. 286. adde, quæ de *synagog. vet.* p. 521. disputat.

chas illos faciat. Nobis certe admodum probabilis videtur coniectura, legendum esse *hiereis*, primum quod manifesto ii enumerantur, qui in synagogis rem sacram faciebant; deinde quod alibi archisynagogi, hierei & patres synagogarum eodem modo coniunguntur. EPIPHANIVS: ** *ἀρχισυναγώγων, καὶ ἱερέων, καὶ πρεσβυτέρων*, CONSTANTINVS imperator: *hiereos & archisynagogos & patres synagogarum*. *** Vtcumque sit, id expeditum est, legis nostræ, dubiæ sane & controuersæ, auctoritatem non sufficere ad fingendum duplex patriarcharum genus.

§. VI.

Vnum ergo qui patriarcharum genus; duos vero Iudæis præfuisse, statuunt, rectiorem amplectuntur hac de re sententiam. Quodsi sane ea, quæ de patriarchis in veterum monimentis tradita sunt, cum iis, quæ æchmalotar-

** *hæres.* XXX. §. 11.

*** *l.* 4. *cod. Theod. de Iudæis.* Vocem *hiereis* respondere Ebræo nomini כהנים nullum est dubium. conf. VITRINGA de *synag.* p. 525. sq. & RHENFERDIVS *dict. loc.* p. 283.

Iotarcha Babylonico & nasi; siue principe Israelitico supra exposuimus, comparamus, apte ea inter se conuenire, intelligimus. Hæcque fuit caussa grauissima, cur viri doctissimi, dum *patriarcharum* nomen explicant, duos eo nomine ornatos fuisse, sibi persuadent; alterum in oriente sedem habuisse, quem Babylonici ראש הגולה id est, *principem exulum*, adpellarunt; alterum in occidentis prouinciis vitam degisse eumdemque esse cum נשיא siue rectore Tiberiensis academiæ. Ita censuerunt CAMP. VITRINGA, * HERM. WITSIVS, ** IOS. BINGHAMVS, *** SEB. NAN. TILLEMONTIVS, * PETR. ZORNIVS ** atque alii. Iis quidem lubentes accedimus; nec tamen diffitemur, si rem spectes, vera tradidisse viros doctos; si verba, cautione opus esse, ne contra veterum scriptorum fidem falsa admittantur. Quare haud piget, singulas no-

strae

* de *synagog. vet. libr.* II. *cap.* 5. p. 523.
** *miscell. sacr. tom.* II. *exerc.* 12. §. 4.
*** *originib. eccles. vol.* I. p. 223.
* *histoir. des empereurs tom.* II. p. 988.
** *histor. fisci Iud.* p. 389.

ſtræ ſententiæ partes enarrare, vt quisque intelligat, quid noſtro iudicio certum; quid fabuloſum ſit: I) ante omnia tenendum eſt, duos fuiſſe Iudæorum principes, alterum rexiſſe orientales; alterum occidentales Iudæos: II) principem Iudæorum, quem נשיא adpellant ac inferiori ætate Tiberiade domicilium habuiſſe, tradunt, eumdem eſſe cum patriarcha, a diuis imperatoribus atque a chriſtianis doctoribus ſæpenumero commemorato. Præcipua quum hæc diſputationis, quam ſuſcepimus, ſit quæſtio, mirum eſt, pleroſque eam adfirmaſſe; neminem vero de probanda ea adducendisque, cur ita ſentiant, rationibus cogitaſſe. Ingenue confitemur, tam pauca de נשיא ſiue *principe* illo a Iudaicis ſcriptoribus eſſe tradita, vt iuſta argumentandi ratione id demonſtrare, non audeamus. Nihilominus ſi reputamus, cum nullius ſupremi magiſtratus in Iudaicis mentionem fieri præter נשיא tum nomina patriarcharum Hillelis, Gamalielis, cum principibus illis, vti infra oſtendendi locus erit, optime conuenire, maxime ſane ad veritatem accedere, cognoſcimus, patriarchas eosdem eſſe ac נשיאים ſiue principes. Erronea ergo

eſt

est sententia IO. MORINI, *** qui prorsus nullam patriarchæ in scriptis Iudaicis fieri mentionem, sibi persuasit. Quodsi vero quæris, cur principes *patriarchæ* nomen tulerint? num ipsi Iudæi, qui Græce loquebantur; an gentes profanæ; an christiani homines eius fuerint auctores? hisque similia, ad ea, per inopiam monimentorum, quid respondeam, non habeo. III) æchmalotarcham Babylonicum, si non maiore; eadem tamen cum principe, vsum fuisse apud ciues suos potestate, concedimus; sed vtrique *patriarchæ* titulum fuisse communem, dubitamus. Quæcumque adhuc excitauimus, de patriarchis Iudæorum monimenta, ad vnum omnia de nasi; seu principe occidentali oportet intelligi. Non possumus ergo, quin libenter IAC. RHENFERDIO * subscribamus, rem bene ac circumspecte ita explicanti: *notum itaque est & ἐξαγώνιον, habuisse Iudæos etiam post vrbem captam principes, id est, summos rerum suarum moderatores & syne-*

L 2

*** *exercit. bibl. libr.* II. *exercit.* 3. *cap.* 1. p. 256.

* de *decem otios. diss.* II. *cap.* 4. §. 10.

ſynedrii præſides. Eorum vnus in Babylonia erat, ראש הגלות *æchmalotarcha vulgo dictus; alter in Palæſtina, ſummi ſynedrii præſes & pleramque etiam academiæ ſupremus rector, quem* נשיא *principem vocabant. Hunc poſteriorem Græci Romanique ſcriptores, ceu ſibi propriorem & notiorem imperioque Romano ſubiectum, paſſim memorant & patriarcham adpellant.*

CAPVT SEXTVM
DE
PATRIARCHARVM IVDAEORVM OFFICIO, POTESTATE ET REDITIBVS.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ

Primum quaeritur, quomodo patriarchae munus suum sint consequuti §. I. II.
Deinde, qua vsi sint potestate tam generatim §. III.
Quam speciatim in caussis ecclesiasticis §. IV.
Ciuilibus §. V.
Et criminalibus §. VI.
Tum de honorum titulis, quos illis non solum Iudaei §. VII.
Sed etiam ipsi Romanorum imperatores concesserunt §. VIII.
Aliisque, quae iisdem caesaribus accepta tulerunt, beneficiis §. IX.
Porro de reditibus, maxime auro coronario, quod illis per apostolos mittebant Iudaei §. X. XI.
Hincque collectis eorum diuitiis &, quae inde nata fuit, luxuria §. XII.
Denique de modo, quo patriarcha finiuerit suam potestatem, agitur §. XIII.

§. I.

Abunde ergo patere, arbitramur, patriarchas Iudaeorum, quorum

in legibus imperatorum veterum facta est mentio, eosdem esse cum *principibus*, quos rexisse olim Iudæos, ipsi tradiderunt. Ab omnibus, quibus antea impediebamur, interrogationibus expediti, ad singulas officii, quod patriarchis nostris creditum erat, partes enumerandas & explicandas eius rationes accedimus. De tractandi ordine cogitantibus, eum eligendum esse, nobis visum fuit, vt primum de modo, ad hoc dignitatis fastigium perueniendi, commentemur: deinde de muneris natura ac indole dicamus, siue ad negotia, quæ curæ eorum commissa erant; siue ad potestatem, illis relictam; siue ad auctoritatem, qua nomen eorum apud alios valebat; siue ad præmia ac reditus, illis concessos, aduertamus animum: denique quomodo imperii factus sit finis, explicemus.

§. II.

Prima quæstio est, quomodo patriarchæ honores hos hancque potestatem consequuti sint? Nullum eligendi iuri locum fuisse; sed splendidissimum munus, tamquam hereditatem, filiis a patribus traditum, certis constat documen-

cumentis. Consulto de annalibus Ebræorum tacemus, quibus nomina singulorum patriarcharum litteris consignata sunt eorumque series est enarrata. His luculenter conficitur, post patris ex hac vita discessum, filium hanc, quam ille administrauerat, prouinciam suscepisse. Commemoranda potius censemus, quæ, EPIPHANIO auctore, comperta habemus. Refert is, hanc esse Iudæorum de patriarcharum successione legem: υἱὸς πατέρα διαδέχεται, *filium excipit patrem*, * idque abunde confirmat exemplo Hillelis patris & Iudæ filii. Multa sane continet EPIPHANII narratio, quæ inde repetere, nostra interest. Quum Hillel finiret mortalitatem, filium eius fuisse κομιδῇ νέον, *valde tenerum*, tradit. Quamuis ergo minor esset ætate, quam vt rite fungeretur grauissimo munere; nihilominus vsus est patriarchæ nomine & dignitate. Hinc lucem accipiunt verba historici nostri: διὰ τὸ εἶναι τὸν πατριάρχην παῖδα ὄντα νηπιάζειν, quæ PETAVIVS ita latine vertit: *quod esset patriarcha adhuc ætate puer ac propemodum infans*; rectius vero videntur sic

 expri-

* *hæres.* XXX. §. 7. p. 130.

exprimi: *quod patriarcha, quum puer esset, adhuc erat minorennis.* Hanc enim vocis νήπιος ** esse significandi vim, viri docti iamdudum obseruarunt. *** Non solum igitur opus fuit tutore, cui pupillus traderetur; sed etiam rerum, a patriarcha gerendarum, administratore. Vtrumque instituendi pater ius potestatemque habuit. Hinc definite EPIPHANIVS narrat, commisisse Hillelem filium suum Iosepho aliique spectatae fidei viro, atque addit: τὰ πάντα ἐπράττετο διὰ τῶν δύο τούτων, *omnia peragebantur per duo illos*, quippe quae ad munus patriarchae spectabant, quia pupillus ἐν χερσὶν αὐτῶν, *in manibus eorum* educabatur. Quum ad iustam peruenisset aetatem Iudas, ipse summam rerum curam suscepit & vt tutori suo gratias referret, ornauit eum splendidissimo apostoli honore. * Quodsi quaeris, qui suam fuerit apud Iudaeos annus legitimus? respondet SAM. PETITVS: ** *duplex est apud Iudaeos pubertas, plena atque*

** §. 6.

*** conf. IO. CHRIST. WOLFIVM *cur. philol. & critic. tom.* II. p. 742.

* §. II. p. 134.

** *obseruat. libr.* III. *cap.* 3. p. 273.

que ciuilis: hæc definitur anno tertio decimo: illa anno vicesimo. Ciuilem pubertatem vbi essent adsequuti, id est, annos nati essent XIII. ad sua mitti poterant negotia habebantque testamenti factionem & dicuntur בני מצוה *filii praecepti; atuero publica non obibant munia ante plenam pubertatem, id est, annum ætatis vigesimum, si modo habitum puberum iam præferrent.* Non alienum fuisse id a moribus Iudæorum, vt quum pater adhuc in viuis esset, filius aut *patriarchæ* nomen sibi adsciscerct; aut ipsum munus susciperet, Gamalielis exemplo patet. De hoc ait R. DAVID GANZ: *** ר״ג קבל נשיאתו בחיי אביו *R. Gamaliel accepit principatum suum, dum pater eius viuebat.*

§. III.

Potestatem, qua vtebantur patriarchæ, non absolutam; sed precariam, vti in scholis loquuntur, atque in benigniore imperatorum Romanorum voluntate positam fuisse, quantum illam tolerauerint, *secundo* loco nunc monemus. Neminem, credimus, rerum Iudaicarum ac tristioris earum isto tempore status tam ignarum esse, vt

L 5 hac

*** *zemach Dauid.* f. 30. b.

hac de re dubitet. Loquantur pro nobis leges imperatorum, de patriarchis nostris latæ, quibus modo pristina iura illis adimuntur; modo restituuntur. Iis præcipiunt cæsares, quæ mandanda erant, atque aliis rebus, quas vetare libuit, interdicunt. Patriarchas ergo imperio Augustorum subiectos fuisse, luculenter patet. Confirmantur hæc insigni effato ORIGENIS, * quo omnia, quæ ad hanc disputationem referri possunt, adcurate & perspicue explicauit: καὶ νῦν γοῦν Ῥωμαίων βασιλευόντων καὶ Ἰουδαίων τὸ δίδραχμα αὐτοῖς τελούντων, ὅσα συγχωροῦντος Καίσαρος ὁ ἐθνάρχης παρ' αὐτοῖς δύναται, ὡς μηθὲν διαφέρειν βασιλεύοντος τοῦ ἔθνους, ἴσμεν οἱ πεπειραμένοι· γάρ τε καὶ κριτήρια λεληθότως κατὰ τὸν νόμον καὶ καταδικάζονταί τινες τὴν ἐπὶ τῷ θανάτῳ οὔτε μετὰ τῆς πάντη εἰς τοῦτο παρρησίας, οὔτε μετὰ τοῦ λανθάνειν βασιλεύοντα, *certe nunc quum Iudæis, Romanis imperantibus, didrachma pendunt, quantum, concedente cæsare, in ipsos auctoritatem habeat ethnarcha, vt nihil differat ab eo, qui regnum obtineret in gentem, scimus, qui sumus experti. Fiunt etiam iudicia latenter secundum legem & non-*

* *epist. ad African.* §. 14. *tom.* I. *oper.* p. 28. edit. DE LA RVE.

nonnulli morte damnantur, non quidem cum plena omni ex parte libertate; ſed tamen non inſcio imperatore.

§. IV.

Accedimus ad *tertium* diſceptationis noſtræ caput. Quum triplex cauſſarum eſt genus, de quibus ſummus magiſtratus cognoſcere ſolet, ita vt aliæ ad rem ſacram: aliæ ad ciuilem vitam: aliæ denique ad pœnas ſpectent capitales, quanta patriarcharum in ſingulis fuerit poteſtas, diſtincte explicare, animus eſt. Initium a cultu diuino rebusque, ad eum pertinentibus, faciemus. Ea tempeſtate, qua patriarchæ Iudæis præerant, omnis eorum religio ſacræque cærimoniæ ſynagogis continebantur. Hinc ſequitur, dum de auctoritate patriarcharum in cauſſis eccleſiaſticis agimus, neceſſe eſſe, vt in ſynagogis potiſſimum oculos figamus ac qualis ibi patriarchæ locus, quæ iura, ſedulo perquiramus. Sicuti patriarchæ munus parum cohærebat cum officiis ſynagogæ; ita nec fieri poteſt, vt inter hæc illud numeremus. Nihilominus ipſe VITRINGA, ſummus ſynagogæ architectus, conceſſit, apud ipſos in cauſſis religionis ſummum fuiſſe arbi-

arbitrium. * Illustria sane huius rei conseruata nobis sunt hæc documenta: I) viri sacri ordinis potestati eius subiecti erant. THEODOSIVS ** senior de his ita loquutus est: *qui deuotione tota synagogis Iudæorum, patriarchis, vel presbyteris se dederunt & in memorata secta legi ipsi præsident*, cetera. Clariora his sunt verba legis, ab ARCADIO & HONORIO latæ: *** *nos interea in conseruandis eorum priuilegiis veteres imitemur, quorum sanctionibus definitum est, vt priuilegia his, qui inlustrium patriarcharum ditioni subiecti sunt, archisynagogis, patriarchisque & presbyteris ceterisque, qui in eius religionis sacramento versantur, nutu nostri numinis perseuerent ea, quæ venerandæ christianæ legis primis clericis sanctimonia deferuntur.* Quid, quæso, apertius aut mente concipi, aut oratione exprimi potest; quam ditioni patriarcharum nostrorum subiectos fuisse archisynagogos & presbyteros? II) porro certum est, in potestate nostrorum patriarcharum id fuisse, vt varios synagogæ honores iis, quos illis dignos iudi-

* de *synagog. vetere libr.* II. *cap.* 5. p. 522.
** *l.* 2. *cod. Theod. de Iudæis*
*** *l.* 13. *cod. Th. de Iudæis.*

iudicabant, conferrent. Quare THEODOSIVS, * quum de iis legem ferret, quos vt in societatem sacrorum reciperent, Iudæos nonnulli cogere sibi sumserunt, aperte scripsit: *primates clarissimorum & inlustrium patriarcharum arbitrio manifestum est suam habere de religione sententiam.* Hinc factum est, vt Iudas patriarcha Iosephum in Ciliciam ablegaret, vt presbyteros aliosque synagogæ antistites, qui perditorum morum conuicti erant, a munere sacro remoueret, teste EPIPHANIO. ** Quid? quod PALLADIVS, vitæ Ioannis chrysostomi scriptor, acriter conqueratur, patriarcham munera ecclesiastica vendere & vt maiorem sibi conquirat nummorum copiam, sine caussa nonnullis pristinam dignitatem adimere & ad alios transferre. *** III) memoriæ proditum est, patriarchas tantum sibi adrogasse, vt nouas exstruerent synagogas. Iure sane hanc ob rem in HONORII ac THEODOSII * offensionem

* *l.* 8. *cit. loc.*

** *cit. loc.* §. II. p. 135.

*** conf. IAC. BASNAGIVM *histoir. des Juifs tom.* II. p. 695.

* *l.* 22. *cod. Theod. de Iudais.*

nem incurrit Gamaliel atque in caussa fuit, cur illi ad Aurelianum rescriberent: vt *deinceps nullas condi faciat synagogas.* His si ea addas, quæ supra demonstrauimus, inter doctores legis Iudaicæ semper principem tenuisse locum נשיאים siue patriarchas, quanta eorum in rebus sacris fuerit auctoritas, facile cognosces. conf. HVG. GROTIVM. **

§. V.

Pergimus ad caussas ciuiles. Num de his cognoscendi, patriarchæ ius habuerint, grauiter inter se dissentiunt viri docti. Nonnulli sine omni dubitatione id adfirmant, ex quorum numero SAM. PETITVS * nihil prætermisit, quod ad confirmandam hanc sententiam faciat, ab aliis ac præcipue IAC. GOTHOFREDO ** notatus ac refutatus. Alii id, quod contrarium est, contendunt ac dum ad Iudæorum, imperio Romanornm subiectorum, statum pene seruilem prouocant, iudican-

** de *iur. summar. potestat. circa sacr. cap.* IX. §. 15. p. 251.

* *var. lect. cap.* 24. p. 379. sq.

** *not. in cod. Theod. tom.* VI. p. 240.

candi facultatem illis fuisse, negant. In hac opinione fuit IAC. RHENFERDIVS; *** nec diffitemur, admodum vero similem esse hanc coniecturam. Nihilominus si vtraque pars de suo quid remittere velit hincque sententia, inter illas media, admittatur, facile eos putamus posse coniungi. Quum præcipue hoc loco de conditione Iudæorum sub imperatoribus ciuili sit quæstio; nec fieri possit, vt de ea fuse disputemus, lectorem ad doctissimum GOTHOFREDVM * liceat ablegare. Id certum est, Iudæos habuisse iurisdictionem voluntariam, ita vt litigantes arbitros constituerent, quamuis alioqui omnino legibus Romanis essent obnoxii atque ad eas vitam componere deberent. Comprobat hæc illustre ARCADII & HONORII ** edictum: *Iudæi, communi Romano iure viuentes, in his caussis, quæ tam ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges ac iura pertinent, adeant solemni more iudicia omnesque Romanis legibus inferant & excipiant actiones. Siqui vero ex his communi pactione ad similitu-*

*** *diss.* II. *de decem otios. cap.* IV. §. 13.
* *cit. loc. tom.* I. p. 102. sqq.
** *l.* 10. *cod. Th. de iurisdict.* & *l.* 8. *eiusd. cod. de Iudæis.*

litudinem arbitrorum apud Iudæos in ciuili duntaxat negotio putauerint litigandum, sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur. Eorum etiam sententias iudices exsequantur, tamquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuerint. Per hanc legem nulla relicta est Iudæis iurisdictio, præter arbitrariam; nec repugnant ei verba eorundem imperatorum de Iudæis: *sint igitur etiam a curialibus alieni pareantque legibus.* *** Nefas enim est, vltra quam satis est, progredi ac contra imperatorum voluntatem ampliorem eorum verbis tribuere significandi vim. Satis constat, totam legem ad sacrum ordinem spectare, hincque non potest fieri, quin *leges*, quibus eos parere, permittit legislator, de iis intelligamus, quæ ad Iudaicam superstitionem pertinebant. Quod paullo ante diximus, omnino Iudæis speciem iurisdictionis relictam fuisse eorumque proceres, quorum caput fuit noster patriarcha, de litibus eorum cognouisse, aliis quoque confirmatur argumentis. Quando inter ea, quæ a Gamaliele peragi vetant imperatores, id quoque repositum esse, videmus: * *vt christianos*

** *l.* 13. *cod. Th. de Iudæis.*
* *l.* 22. *cod. Th. de Iudæis.* Doctissimus

nos nullam habeat copiam iudicandi & si qua inter eos ac Iudæos sit contentio, a rectoribus prouinciæ dirimatur, annon recte concluditur, liberam eis fuisse, de Iudæis iudicium ferendi, facultatem? Edixerunt hæc HONORIVS & THEODOSIVS eademque, breui interiecto spatio, ita repetierunt: * *siqua inter christianos & Iudæos sit contentio, non a senioribus Iudæorum; sed ab ordinariis iudicibus dirimatur*. Alibi memoratur, ** primates Iudæorum in *synedriis* dominari. Non ignoro, quanta inter viros doctos de synedriis his sit contentio; nec lubet, eis accedere, qui talem credunt ista ætate synedriorum fuisse formam ac indolem, qualis stante republica fuit; nihilominus non possum a me impetrare, vt omne iudicis officium ex illis proscriptum fuisse, mihi persuadeam. His denique ea addas, quæ doctores Iudæorum atque in his maxi-

codicis interpres recte monet, quæstionem hic esse de Iudæo reo, num ad christianum; an iudæum iudicem deferri eius caussa debeat.

* *l. 15. cod. de Iudæis.*

** *l. vlt. cod. Th. de Iudæis.*

maxime R. MOSES BEN MAIMON de ſynedriis commentatur, vbi tradit, per ſolemnem conſecrandi ritum, nonniſi auctoritate principis in terra ſancta peragendum, doctores adeptos eſſe facultatem, iudicandi. *** Quæ ſi iunctim ſumo, vera mihi omnino videtur ſententia, quæ his continetur capitibus: Iudæi omnino iurisdictioni magiſtratuum Romanorum ſubiecti fuerunt: imperatores, quo quisque erga Iudæos benignior erat; eo magis hoc eorum arrogantiæ indulſerunt, vt ex ſuorum numero quisque ſibi eligeret controuerſiarum arbitros, facto compromiſſo: quum doctores academici & maxime eorum dux ac caput legum, quibus gloriabantur, patriarum peritiſſimi haberentur, ſponte ſua ceteri iudicandi munus iis obtulerunt idque fecerunt eo libentius; quo aptius illis id videbatur, ad inanem proprii regis adfectandam gloriam: acceſſit, quod alioquin maxima apud Iudæos valeret patriarcha auctoritate, hocque factum eſt, vt vel inſcio imperatore, iuſto maiorem ille ſibi vindicaret poteſtatem, de qua ORIGENES teſtatur; Iudæi vero vltro obſe-

*** de *ſynedriis cap.* 4.

obſequerentur, eo conſilio, vt homini Iudæo, non profano, parere viderentur.

§. VI.

Accedimus denique ad difficillimam huius argumenti quæſtionem: num capitalis rei aliquem damnandi eique mortis pœnam inferendi, ius habuerint patriarchæ? Controuerſiæ huius auctor eſt ORIGENES, * cuius verba, quæ huc ſpectant, ſupra dedimus. Aperte enim ait: *καταδικάζονται τινες τὴν ἐπὶ τῶ θανάτω, nonnulli morte damnantur.* Sine omni dubitatione fidem ei habuerunt: CAES. BARONIVS, ** PAVLL. PEZRON, *** PETR. DAN. HVETIVS * & CAMP. VITRINGA. ** Alii ſecus ſentiunt atque in his PETR. ZORNIVS *** & ill. LVD. HOLLBERGIVS * generatim

* *epiſt. ad Afric.* §. 14.

** *annal. eccleſ. ann.* CCXXIV. §. 9.

*** in *antiquité des tems defendue cap.* IV. p. 278.

* *not. in comm. origenis* p. 29.

** *cit. loc.* p. 522. adde TILLEMONTIVM *hiſtoir. des emper. rom.* II. p. 984.

*** *hiſtor. fiſci Iud.* p. 397.

* *hiſtor. Iudaic. tom.* II. p. 370.

ratim contendunt, iuri vitæ & necis; quod ORIGENES Iudæis tribuit, manifesto aduersari seruitutis, qua Iudæi premebantur, conditionem ac naturam exilii. Haud inepte ita disputari, non diffitemur; nec tamen negari potest, maius huic sententiæ pondus addere aliud eiusdem ORIGENIS ** testimonium: *annon iure dicitur*, inquit, *in hac parte mortuus sermo legis, cui nulla sacrificia, nullum sacerdotium, nulla leuitici ordinis deferuntur ministeria. Homicidam non punire potest; nec adulterum lapidare: hæc enim sibi vindicat Romanorum potestas.* Sibi ipsum contradicere litteratissimum doctorem, æque vidit IAC. BASNAGIVS; *** ac confessus est, nullam exsistere viam, vtraque effata, manifesto inter se pugnantia, conciliandi; nisi prius non de pœna mortis; sed de iure, in synagogis reos flagellandi, interpreteris. Atuero parum hæc explicatio respondet iis, quæ ORIGENEM mente concepisse, orationis nexus docet. Loquitur enim de Susannæ historia ac monet, contra veritatem eius nullo modo adduci posse,

** apud HVETIVM *loc. cit.*

*** *histoir. des Juifs tom.* II. p. 636.

se, quod Iudæi, in exilio Babylonico, nullum ius habuerint, reos in ius vocandi & de iis ferendi sententiam. Concludendi ergo rationem esse falsam, vt rite demonstraret, prouocauit ad Iudæos sui æui eosque itidem, sublata illorum republica, eamdem sibi adrogare potestatem, contendit. Quare ne cogitare quidem potuit de flagellatione. Scriptor enim fragmenti de Susanna expresse ait: *κὴ ἀπέκτειναν αὐτὰς*, *& occiderunt eos.* Nobis vero rectius admittenda esse videtur facilis distinctio iusti & iniusti: eorum, quæ Iudæos facere oportuit, quæue insolenter reipsa perpetrarunt. Haud obscure id nobis significauit ORIGENES, qui bene ac prudenter verbis: *καὶ καταδικάζονταί τινες τὴν ἐπὶ τῷ θανάτῳ*, hæc subiecit: *ὅτε μετὰ τῆς πάντη εἰς τοῦτο παῤῥησίας, ὅτε μετὰ τοῦ λανθάνειν βασιλεύοντα, non quidem cum plena omni ex parte libertate; sed tamen non inscio imperatore.* Consequens ergo est, vt ius vitæ & necis Iudæis illius ætatis prorsus abiudicemus; concedamus tamen, tantam fuisse eorum audaciam & impudentiam, vt sub imperatoribus minus seueris; sed benignis ac mollioris ingenii, de

capite reorum ferre sententiam, scelere nefando sibi sumerent. Poenas ecclesiasticas a reis repetere variique generis ἀναθηματισμοὺς exercere, illis omnino liberum fuit. Testatur hanc in rem non solum Iosephi exemplum apud EPIPHANIVM; * sed etiam lex THEODOSII ** eiusque filiorum, quae prohibuerunt, ne a iudicibus Iudaei cogerentur, *eos in sectam suam recipere, reclamantibus legis suae primatibus, quos ipsi iudicio suo ac voluntate proiiciunt.* *** Aliquando vero in synagogis nonnullos crucis supplicio; aut alio mortis genere adfectos fuisse, auctore EVSEBIO, **** habemus compertum.

§. VII.

* *haeres.* XXX. §. 11. p. 134. sq.

** *l.* 8. *cod. Th. de Iudaeis.*

*** haud obscurum est, verbi *proiiciendi* hoc loco virtutem esse, ritum iudaicum, חרם dictum, quo quis a sacrorum communione excludebatur, denotandi. De eo pleni sunt scriptorum de Iudaeorum antiquitatibus libri; nec est, quod de iis fusius disseramus. Illis addas interpretes oraculorum diuinorum *Io.* IX, 22. XVI. 12. & quos ibi laudat WOLFIVS *cur. philol. & critic. tom.* I. p. 904. & 949.

**** *histor. eccles. libr.* V. *cap.* 16. p. 281. sq.

§. VII.

Quarto obſeruandum eſt, patriarchæ dignitatem minus amplam; quam honorificam fuiſſe ac illuſtrem. Summum ſane eius exſtitiſſe ſplendorem, luculentum perhibent teſtimonium honoris tituli ac magnifica nomina, quibus patriarchas tam a Iudæis; quam ab ipſis Romanorum imperatoribus ornatos fuiſſe, accepimus. De vtroque genere iam diſpiciamus. Iudæos quidem principibus ſuis honorificum nomen *rabban*, id eſt, *magiſtri noſtri*, attribuiſſe, recte obſeruauit IAC. BASNAGIVS. * De eo generatim ſic ſcripſit R. DAVID GANZ: ** רבן הוא שם חשוב במעלה יותר מרב ורבי *rabban nomen cenſetur maius dignitate; quam raf & rabbi*; maiore autem cura rem explicauit R. NATHAN, *** cuius hæc ſunt verba: גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו ולא מצאנו אדם שנקרא רבן חוץ מין הנשיאים *rabbi excellentior titulus eſt; quam raf: rabban maior; quam rabbi; at ſimplex nomen eius maius; quam rabban; nec reperimus, quemquam*

* *dict. loc.* p. 606.

** *zemach. Dauid.* ann. MMMDCCLXI. f. 28. a.

*** in *aruch.* voc. אביי.

quam vocatum fuisse rabban, præterquam principes. Idem confirmauit R. ABRAH. SACCVTVS * ac opposuit se R. MOS. BEN MAIMON, ** qui contra veritatem *rabban* vnum ex communibus doctorum titulis fuisse, crediderat, sicque conclusit: לא מצאנוהו לשום חכם כי אם לנשיאים לבד *non reperimus illud cum vllo sapiente; sed cum principibus duntaxat.* Hinc nulla caussa subest, cur dubitemus, principes Iudæorum vindicasse sibi titulum רבן. Nec tamen firmis demonstrari potest rationibus, omnes, qui patriarchæ munere functi sunt, eodem insignitos fuisse nomine. Certe in monimentis talmudicis & rabbinicis nonnisi septem principes eo deprehendimus ornatos, vti recte docent IO. BVXTORFIVS, *** GEORG. VRSINVS * & ADR. RELANDVS. ** Quos dum viri laudati & qui iis adiungen-

* *iuchas.* f. 20. b. adde f. 48. a. & R. DAVID GANZ *zem. Dauid* ad ann. MMMD. f. 21. a.

** *præf. tract. talm.* זרעים.

*** de *abbreuiat.* p. 175. sqq.

* *antiqu. ebr. scholast.* p. 191.

** *not. in Othon. histor. doct. mischnic.* p. 93.

gendus est, IO. HENR. OTHO *** recensent & in eo conueniunt, rabbanem Simeonem, filium Hillelis, christo æqualem & a diuo LVCA commemoratum, primum eo titulo vsum eumdemque in rabbane Gamaliele, filio R. Iudæ sancti, seculo tertio christianorum claro, exstinctum fuisse, haud difficili coniectura intelligi potest, ad patriarchas insequutos eum non referri posse; nisi tibi persuadeas, quamuis huius rei in monimentis rabbinicis non fiat mentio; tamen illos pristinum nomen sibi conseruasse. Præterea silentio prætermittere haud possum, recentiore ætate immutatam esse vocabuli רבן significandi vim, ita vt iis Iudæorum doctoribus tribueretur, qui Geonæos sequuti sunt atque inde a seculo XI. vsque ad nostram ætatem ruinæ Iudaismi consulere, conati sunt, de quibus legas IO. CHRIST. WOLFIVM. * Simili ratione præclare ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS ** nostros רבנים ab alio doctorum Ebræorum genere discerni iubet, qui dum maio-

*** *cit loc.*

* *biblioth. ebr. vol.* II. p. 916.

** *adparat. antiqu. sacr.* p. 132.

rum placitis omnem rerum diuinarum humanarumque cognitionem absolui eaque ipsis diuinis oraculis anteferenda esse, perperam tradunt hancque ob caussam karaeis obiiciuntur, rabbanitae adpellari solent. Denique notes velim, scite a BASNAGIO hanc proferri sententiam, aechmalotarchis Babylonicis nomen רבנא *rabbana* proprium illudque longe illustrius fuisse; quam *rabban*. Titulus enim *rabbana*, quod BVXTORFIVS *** & VRSINVS, * ex R. NATHANE didicerunt, communis est familiae Dauidicae. Atqui aechmalotarchae iactabant, se ortos esse ex gente Dauidica; consequens ergo est, vt ad illos omnino spectauerit nomen rabbana. R. BENIAM. TVDELENSIS ** de hac re silet idque vnum memorat, aechmalotarcham a Iudaeis adpellari ארונינו *dominum nostrum*. Plura de hoc argumento addere piget; iis tamen, qui plura desiderant, commendamus de titulis Iudaeorum academicis scriptores, laudatos a beato IO. CHRIST. WOLFIO. ***

§. VIII.

*** *lexic. rabbin.* p. 2177.
* *dict. loc.* p. 194.
** *itiner.* p. 173.
*** *bibl. ebr. tom.* II. p. 920.

§. VIII.

Haud minus gloriosi his fuerunt honorum tituli, quos patriarchis nostris ipsi Romanorum augusti imperatores concessere. Qui de variis eius generis honorificis adpellationibus earumque diuersis classibus data opera commentati sunt: IAC. GVTHERIVS, * GVID. PANCIROLLVS, ** IAC. GOTHOFREDVS, *** SAM. PITISCVS * aliique, docte adductisque veterum scriptorum ipsarumque legum suffragiis comprobarunt, quum tres essent dignitatum in aula imperatorum ordines, ita vt aliae essent maiores: aliae mediae: aliae inferiores, ad primum spectasse tria haec vocabula *illustris*, *clarissimus*, *spectabilis*. Singulis his videmus patriar-

* de *offic. domus aug. libr.* I. *cap.* 4. sqq.

** *comment. ad notit. dignit. cap.* II. apud GRAEVIVM *tom.* VII. *thes. antiqu. Rom.* p. 142.

*** *comm. in cod. Theod. tom.* I. p. 335. *tom.* II. p. 358. sqq. *tom.* IV. p. 125. & alibi passim.

* *lexic. antiqu. Rom. tom.* II. p. 399. & *tom.* III. p. 466. adde alios, laudatos a IO. LVD. BVNEMANNO *not. in Lact. inst. diuin. libr.* V. *cap.* 14. p. 646. *oper.*

patriarchas Iudæos exornari iisque eadem exhiberi reuerentiæ signa, quibus præstantissimi ac de republica immortaliter meriti viri alioquin ab aliis distingui, consueuerant. THEODOSIVS eiusque filii adpellarunt nostros *viros clarissimos & inlustres*: ** ARCADIVS & HONORIVS *** *inlustres patriarchas* & alibi * *viros spectabiles*. Quænam vocum illarum hoc loco sit significandi potestas, non est animus disquirere; tamen non possumus nobis temperare, quin breuiter ex GVTHERII commentariis repetamus, *clarissimos* dictos esse præsides, consulares, correctores: *spectabiles* proconsules, comites orientis, præfectum augustalem ac vicarios: *illustres* patricios, præfectos prætorio, præfectos vrbis, viros consulares. Insigniter sese falleret, qui putaret, cum summis his magistratibus pari loco haberi patriarchas. Bene enim viri docti notarunt, hos fuisse dignitatum ordines, vt primus esset eorum, qui in actu positi sunt: secundus vacantium: tertius honorariorum.

** *l.* 8. *cod. Th. de Iud.*

*** *l.* 11. & 13. *cod. Th. tit. cit.*

* *l.* 15. *loc. cit.*

rum. ** Ex his honorarii nihil præter honorem; ſiue vt vera dicam, vmbras & nuda nomina conſequebantur, in quorum numero patriarchas noſtros fuiſſe, res ipſa loquitur. Neque id mirum eſt, quod tres diuerſæ dignitatis tituli, in aliis diuiſi, in Iudæorum rectoribus coniuncti fuerint. Parum enim id abhorruiſſe a Romanorum inſtitutis, exempla abunde teſtantur. Sic, vt ex multis vnum adferamus, magiſter officiorum pariter *clariſſimus*, *** *ſpectabilis* * & *illuſtris* ** adpellatur. Quænam cauſſæ fuerint, cur tam liberales ac benignos ſeſe erga patriarchas præbuerint imperatores, quisque intelliget, ſi cogitauerit, quanta Iudæorum, per omnes imperii prouincias diſperſorum, fuerit multitudo: quanta eorum potentia: quanta opum copia: quanta denique eorum de patriarcha exiſtimatio: quanta illius auctoritas quamque late patuerit

eius

** conf. GVTHERIVM *dict. loc. libr.* I. *cap.* 14.

*** *l.* 8. *cod. Th. de curſ. publ.*

* *l.* 35. *tit.* eiusdem

** *l.* 20. & *vlt. cod. Theod. de agent.* & alibi paſſim.

eius imperium, adeo vt prudentiæ leges efflagitarent, vanis ac inanibus honorum titulis eos mitigare ac superbia illorum ad continendos in obsequio eorum animos vti. Plura hanc in rem disseruit PETRVS BAELIVS, *** quem hanc in rem consulant velimus lectores. Longe alia ratio fuit, cur IVLIANVS * eo progressus est, vt Iulum patriarcham diceret *fratrem* ac *αἰδεσιμώτατον*, *omni obseruantia dignum*. Singulare sane hoc fuit; nec sufficit ad persuadendum nobis, commune id fuisse patriarcharum nomen. Quanto miser ille homo prosequutus sit Iudæos amore quantisque eos adfecerit beneficiis, vt, inaudito furoris exemplo, expleret ac satiaret infinitum illud in dulcissimum vnicumque nostræ salutis auctorem eiusque adseclas odium, inter omnes conuenit. ** Cuius rei documentum exhibet epistola illa ad Iudæos, eo consilio perscripta, vt perquam effusam voluntatem illis decla-

*** in *critique generale de l'histoire du Caluinisme de Mr. Maimbourg* p. 150.

* *epist.* XXV. p. 396.

** satis docte de hoc argumento egit PETR. ZORNIVS *hist. fisci Iud.* p. 376.

clararet. Hinc non mirum nobis videtur, quod Iulum *fratris* nomine honorauerit, de quo olim QVINCTILIANVS *** pereleganter dixit: *certe quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere vltra hoc nomen potest; quam vt fratres vocemus.* Hinc sequitur, vt adsentationis suspicionem vix effugiat IVLIANVS.

§. IX.

Præter honoris titulos, alia quoque summæ patriarcharum dignitatis nobis conseruata sunt monimenta. Nominatim ad hunc locum referenda esse censemus insignia eorum priuilegia, itidem a Romanorum imperatoribus illis concessa. Duplex eorum est genus. Aliis liberantur ab omni onere perferendo, quod alii imperii Romani ciues; aut municipes sustinebant; aliis tantummodo honori eorum consulitur, ne vllum capiat detrimentum. Ad priorem classem referenda esse, censemus, quæ generatim ARCADIVS & HONORIVS * ita sanxerunt: *cuncta priuilegia, quæ viris spectabilibus,*

*** *declam.* CCCXXI. p. 594.

* *l.* 15. *cod. Th. de Iudais.*

bus, patriarchis; vel his, quos ipsi ceteris praeposuerunt, dictae memoriae pater noster atque retro principes detulerunt, suum robur tenere, censemus. Quaenam sint illa priuilegia, quae confirmari voluerunt caesares, facile ex aliis legibus intelligimus, quibus statutum est, vt vel inferioris dignitatis Iudaeorum magistratus; aut synagogorum ministri ** *immunes sint ab omnibus, tam personalibus; quam ciuilibus muneribus, ita vt illi, qui iam forsitan decuriones sunt, nequaquam ad prosequutiones* *** *destinentur: vt bini; vel terni nullis nominationibus occupentur:* * *vt hierei & archisynagogi & patres synagogarum & ceteri, qui synagogis deseruiunt, ab omni corporali munere liberi sint;* ** ne vlli, qui sacrorum communione seclusi erant, *inuitis primatibus, per iudicum vim; aut rescripti subreptionem opem reconciliationis mereantur indebitae;* *** *vt iisdem cum venerandae legis christianae clericis* fruantur iuribus: * hisque similia.

** *l.* 2. *cod. Th. de Iudaeis.*

*** conf. IAC. GOTHOFREDVM *not. in cod. Theod. libr.* XII. *tit.* 8. *tom.* IV. p. 602.

* *l.* 3. *cod. Theod. de Iudaeis.*

** *l.* 4. *eiusdem tituli.*

*** *l.* 8.

* *l.* 13.

lia. Nec enim dubitamus, quin ea, quæ archiſynagogis aliisque, patriarchis ſubiectis conceſſa ſunt; nec ipſis patriarchis fuerint denegata. *Poſterioris* claſſis eſt hæc lex: ** *ſiquis audeat inluſtrium patriarcharum contumelioſam per publicum facere mentionem, vltionis ſententiæ ſubiugetur*, de qua legantur, quæ ſupra diximus. His non poſſumus non addere inſignia HONORII & THEODOSII iunioris verba, de Gamaliele patriarcha edicta, ſe præcepiſſe viro illuſtri, magiſtro officiorum, vt *ab illo codicilli demandentur honorariæ præfecturæ: ita vt in eo ſit honore, in quo ante præfecturam fuerat conſtitutus*, *** inter viros doctos controuerſa, licet parum difficultatis in iis inſit. SAM. PETITVS, * quantum meminimus, ptimus fuit, qui de medica arte hoc loco cogitaret, quam Gamaliel exercuit; *comitiuæ* vero honore medicos olim donatos fuiſſe, certum eſt. Ipſe tamen confeſſus eſt, de illo noſtrum effatum non poſſe intelligi, idque recte cenſuit, ſiquidem quantum inter

** *l.* 11.
*** *l.* 22.
* *obſeru. libr.* III. *cap.* 3. p. 33.

inter comites & præfectos; tantum etiam inter comitiuam & præfecturam est discrimen. IAC. BASNAGIVS ** nimis copiose demonstrare studuit, præfecturam nec de imperii specie; nec de patriarchæ dignitate; nec de medici officio posse capi. Manifestum enim est, omnia illa tam aliena esse a verborum, quibus lex expressa est, vi, vt ne de illis quidem hoc loco cogitare deceat. Varia olim exstitisse præfectorum genera, neminem fugit; neque id eget probatione, nonnullos fuisse *præfectos honorarios*, qui licet nullum gererent magistratum; iisdem tamen honoris significationibus eos alii prosequi debebant, quasi & ipsi præfecti fuerint. *** Donabantur illa dignitate per codicillos, a principe impetratos; * vbi vero flagitiis, sceleribus; aut prauis facinoribus se ipsi reddidissent

** *histoir. des Juifs tom.* II. p. 640.

*** conf. IAC. GVTHERIVM de *offic. domus august. libr.* II. *cap.* 6. p. 431. sq.

* de codicillis, per quos imperatores viris illustribus conferebant honores, legas GVIL. PANCIROLLVM *comm. in not. dignit. cap.* 101. p. 1603. IAC. GOTHOFREDVM *not. in cod. Theod. tom.* II. p. 114. & SAM. PITISCVM *lexic. antiqu. Rom. tom.* I. p. 479.

ſent illa indignos, ea ipſis auferebatur. Hinc intelligi poteſt, Gamalielem eadem dignitate fuiſſe ornatum, quæ quum honoraria eſſet, valde dubito, facultatem ei fuiſſe datam, in iudiciis occupandi locum. Quum amitteret Gamaliel præfecturam, *in eo fuit honore, in quo ante præfecturam fuerat constitutus*, id eſt, retinuit priſtinum, quod illi creditum erat, patriarchæ officium. Id vnum addimus, peculiarem fuiſſe illam Gamalieli; nec cum ceteris patriarchis communem honorem. In qua ſententia conſtanter permanebimus, donec id, quod contrarium eſt, iuſtis rationibus fuerit demonſtratum.

§. X.

Quinto loco de reditibus patriarcharum differendi, neceſſitatem videmus nobis eſſe impoſitam. Supra omnem dubitationem poſitum eſt ac luculentis veterum monimentorum ſuffragiis confirmatum, Iudæos, quotquot patriarcharum ditioni ſubiecti erant, eis quotannis ſoluiſſe tributa. De his mirifice viri docti diſcrepant, ſi qualis eorum fuerit indoles, declarare ſibi ſumſerunt; nec difficilis eſt res, veras errorum cauſſas inueſtigare, ſiquidem plerique ea, quæ

quam maxime inter se sunt diuersa, perperam coniungunt. Cuius rei infra dabimus specimina; nunc vero, antequam quid ipsi sentiamus, exponamus, singula percensebimus, quae ad nos transmissa sunt, veterum de tribubis his testimonia, vt lectores rectius de controuersia iudicent quidque verum; quid falsum sit, manifesto intelligant. *Primum* notanda sunt verba IVLIANI: ** τὸν ἀδελφὸν Ἰȣλον τὸν αἰδεσιμώτατον πατριάρχην παρήνεσα καὶ τὴν λεγομένην εἶναι παρ᾽ ὑμῖν ἀποστολὴν κωλυθῆναι καὶ μηκέτι δύνασθαι τὰ πλήθη ὑμῶν τινα ἀδικεῖν τοιαύταις φόρων εἰσπράξεσιν, ὡς πανταχόθεν ὑμῖν τὸ ἀμέριμνον ὑπάρχειν τῆς ἐμῆς βασιλείας, *fratrem Iulum, patriarcham omni praesentia dignum, hortatus sum, vt etiam tributum, quod apostolatus apud vos vocatur, prohibeat & inposterum nemini liceat populos vestros huiuscemodi tributorum exactionibus laedere, quo vobis securitas vndique in meo regno sit.* Recte ita latine vertit DION. PETAVIUS atque ἀποστολὴν per *tributum*; siue vt imperatores loquuntur; *deportationem*, interpretatur. Male ergo

PETR.

** *epistola* saepius iam laudata.

PETR. DE MARCA *** & qui parum a partibus eius abesse videtur, PETR. ZORNIVS *, sibi persuadent, per ἀποστολὴν apostolorum munus designari; peius tamen SAM. PITISCVS ** *apostolen* tributum esse, imperatoribus solutum, credidit. *Deinde* huc spectant tres leges. Prima est ARCADII & HONORII; siue potius HONORII solius, *** quia Mediolani data est, cuius hæc sunt verba: *superstitionis indignæ est, vt archisynagogi; siue presbyteri Iudæorum; vel quos ipsi apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis synagogis exactam summam atque susceptam ad eumdem reportent. Qua de re omne, quidquid, considerata temporis ratione, confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. De cetero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum. Nouerint igitur populi Iudæorum, remouisse nos deportationis functionem. Quodsi qui ab illo depopulatore Iudæorum ad hoc officium exactionis fuerint directi, iudicibus offerantur, ita vt*

 tam.

*** *diss. de discr. laicor. & cleric. cap.* III. §. 13.

* *histor. fisci Iud.* p. 406.

** *lexic. antiqu. Rom. tom.* I. p. 126.

*** *l.* 14. *cod. Th. de Iudæis.*

tamquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Huic mandato opposita est lex secunda eiusdem augusti: * *dudum iusseramus, vt ea, quae patriarchis a Iudaeis istarum partium ex consuetudine praebebantur, minime praeberentur; verum nunc, amota prima iussione, secundum veterum principum statuta priuilegia, cunctos scire volumus, Iudaeis mittendi copiam a nostra clementia esse concessam.* Longe tamen alia, post breue tempus edixit THEODOSIVS: ** *Iudaeorum primates*, inquit, *qui in vtriusque Palaestinae synedriis nominantur; vel in aliis prouinciis degunt, quaecumque post excessum patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsoluere. In futurum vero periculo eorumdem anniuersarius canon de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur, ad eam formam, quam patriarchae quondam coronarii auri nomine postulabant, quae tamen quanta sit, solerti inquisitione discutias & quod de occidentalibus partibus patriarchis conferri consueuerat, nostris largitionibus inferatur.* Tum audiamus EPIPHANIVM, *** qui de Iosepho, apostolo

* *l.* 17. *cod. Th. de Iudaeis.*

** *l. vlt. eiusdem tituli.*

*** *haeres.* XXX. §. 11.

ſtolo a patriarcha in Ciliciam delegato, ita ſcripſit: *καὶ μετ᾽ ἐπιςολῶν ὗτος ἀποςέλλεται εἰς τὴν Κιλίκων γῆν· ὅς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ἀπὸ ἑκάςης πόλεως τῆς Κιλικίας, τὰ ἐπιδέκατα καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰȣδαίων εἰσέπραττεν, cum litteris in Ciliciam proficiſcitur. Quo quum acceſſiſſet, vnoquoque ex oppido decimas ac primitias a prouincialibus Iudæis exigebat.* Ne quid prætermittamus, HIERONYMVS * quoque teſtatur, ſuo tempore a patriarchis Iudæorum miſſos fuiſſe apoſtolos; ſed dum cauſſam ſilet, cur miſſi ſint, parum id noſtram iuuat diſputationem. *Denique* cum his apte comparantur, quæ de æchmalotarchis Babylonicis doctores Iudæorum prodiderunt memoriæ. R. ABRAH. SACCVT: ** וכללו של דבר שמגיע אליו בכל שנה ושנה מכל אלו המקומות תש זהובים ואם רצה כתב למקומות הרחוקים שיסמכוהו ויכבדוהו כתב להם ועושין לו בק שת *ſumma rei eſt, ad eum quotannis ex illis omnibus regionibus peruenire ſeptingentos aureos, & ſi velit, ad remota loca ſcribit, vt ei ſubueniant* &

* *comm. in epiſt. ad Gal.* I, 1. *tom.* IV. *oper.* p. 225.

** *iuchaſin.* f. 124. *col.* 1.

& honorarium mittant: *** *scribit eis, inquam, & petitioni eius satisfaciunt.* Conuenit cum his effatum R. BENIAMINIS TVDELENSIS: ומביאים לפניו דורונות ומתנות מאפסי ארץ *& ab vltimis finibus dona & munera ei deferunt.* **** Minorem sane Iudæorum occidentalium; quam orientalium erga patriarchas suos fuisse liberalitatem, quis credat?

§. XI.

Eorum, quæ recitatis testimoniis perhibentur, hæc præcipua sunt capita: I) Iudæos oportuit soluere patriarchæ

*** ita vocem ebræam ויכבדוהו CONSTANTINVS LEMPEREVR *not. in Beniam. itinerar.* p. 197. latine expressit. Elegantissime monuit CAMP. VITRINGA de *synagoga vetere* p. 883. vocabulum כבד, cuius *honorandi* notio propria est, perinde *liberalitatem* significare; ac Græcorum τιμὴ & τιμᾷν 1. *Tim.* V, 3. 17. adde *Matth.* XV, 5. vbi vide beatum IO. CHRIST. WOLFIVM in *cur. philol. & critic. tom.* I. p. 244. & cel. HEVMANNVM in *der Erklær. des neuen Test. tom.* I. p. 193. Simili ratione CICERO: *Curio misi, vt medico honos haberetur, libr.* XVI. *epist.* 9. *ad famil.* §. 6. adde VELLEIVM *libr.* II. *cap.* 129. §. 3. & CELLARIVM KORTIVMque, Ciceronis interpretes.

**** *itiner.* p. 74.

archæ tributum: II) variis illud significatur nominibus. Adpellatur enim modo ἀποςολὴ, modo *decimæ & primitiæ*: modo *pensio*: modo *canon anniuersarius*: denique *aurum coronarium*. *

N 5 III)

* *auri coronarii* nomen tributi Iudaici nequaquam proprium fuit. Insolenter id more suo, a Romanis acceptum, ad suum censum transtulerunt. Apud illos denotabat dona voluntaria, a ciuibus imperatoribus oblata, quæ in *L. 4. cod. Th. de auro coronario* ita explicantur: *est aurum coronarium, quæ diuersarum ordines curiarum vel amore proprio; vel indulgentiarum lætitia; vel rebus prospere gestis admoniti in coronis aureis signisque diuersis obtulerint.* Scilicet triumphanti victori amici antiquiore ætate *coronas aureas* obtulerunt; recentiores vero in earum locum pecuniam surrogarunt, quæ hac de caussa *coronarium aurum* adpellata fuit. Pluribus id docent: IAC. GOTHOFREDVS *not. in cod. Theod. tom.* IV. p. 638. IVSTVS LIPSIVS de *magnit. Rom. libr.* II. *cap.* 9. p. 716. *tom.* III. *oper.* IVL. CAES. BVLENGERVS *libr. de tribut. & vectig. pop. Rom. cap.* XXVII. *tom.* VIII. *thes. antiqu. Rom.* p. 874. SAM. PITISCVS *lexic. antiqu. Rom. tom.* I. p. 225. IO. GOTTL. HEINECCIVS *antiqu. Rom. libr.* II. *tit.* 7. §. 4. aliique, laudati a ZORNIO *dict. loc.* p. 409. & 582. Hæc de vsu vocis apud Romanos. Quodsi quæris, cur Iudæi tributo suo idem dederint nomen, facile intelliges reâ

III) singulis annis id pendendi, erat necessitas: IV) nulla lege id mandatum esse, scimus; sed consuetudine, quae pedetentim legis vim accepit, receptum ac longo annorum vsu confirmatum: V) nihilominus a Iudaeis graue onus, ab imperatoribus reipublicae perniciosum habebatur, adeo vt *depopulatoris* ignominia patriarcham adficere, haud dubitarent: VI) coactum in singulis synagogis ab earum antistitibus: VII) *apostolis*, qui hunc in finem in singulas prouincias delegati sunt, tradebatur, vt ad patriarchas deferrent. ** Plura exinde elici posse, vix

caussas, si vtrumque inter se contenderis. Vtrumque fuit donum voluntarium: vtrumque ab ordinibus diuersarum curiarum; siue synagogarum collectum: vtrumque amore proprio obtulerunt: vtrumque, quamuis liberum cuique esse diceretur, consuetudine tamen a ciuibus coactum fuit.

** honorificum eo tempore inter Iudaeos & nomen & munus apostolorum fuisse, supra omnem dubitationem ponimus. Viris grauissimis ac de rep. optime meritis illud credebatur; nec solum amplissimis fungebantur legationibus atque in Iudaeorum synagogis synedriisque ordinandi, quae illis e salute ciuium esse, videbatur, habebant ius potestatemque; sed & consiliorum prudentia patriarchae

vix nobis persuaderi, patimur. Nihilominus non defuerunt viri docti atque ingeniosi, qui pro insigni coniecturas faciendi cupiditate, partes, quas sibi

aderant; nec inepte cum primariis principum ministris conferuntur. Nimis longum foret, de illis fusius hoc loco disputare; nec opus esse videtur vberiore disquisitione, siquidem in hoc argumento explicando viri doctissimi feliciter versati sunt. Quare iis, qui plura scire cupiunt, commendamus: FRID. SPANHEMIVM *diss. de apostolis* §. 7. *tom.* II. *oper.* p 291. IAC. GOTHOFREDVM *not. in codic. Theodos. tom* VI. p. 251. sqq. SAM. PETITVM in *var. lect. cap.* 24. p. 370. sqq. HERM. WITSIVM *vit. Paull. sect.* IV. §. 18. p. 22. *meletem. Leidens.* CAMP. VITRINGAM de *synagog. vet. libr.* II. *cap.* 10. p. 577. IAC. BASNAGIVM *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 2. §. 8. IO. FRID. MAYERVM *diss. de apostolis ebraeorum*, Gryphisw. an. MDCCIX. edita, aliosque, laudatos a ZORNIO *histor. fisci Iudaic.* p. 405. Nec tamen a nobis impetrare possumus, quin moneamus, omni cautione esse opus, ne alia apostolorum apud Ebræos genera cum nostris inepte confundamus. Etenim præter apostolos patriarcharum, commemorantur cum *apostoli synedriorum*, qualis Paullus fuit, antequam ad christianæ doctrinæ lucem perueniret, de quibus vide GVIL. CAVEVM *antiquit. apostol. proleg.* §. 3. p. 183. IO. MICH. HEINECCIVM in *der Abbildung der alten und neuen griechischen*

ſibi relictas eſſe putarunt, explerent. Ne iuſto copioſiores ſimus, vnam ex multis eamque præcipuam attingemus quæſtionem, quæ de origine huius tributi & vnde illa repetenda ſit, agitata fuit. Maximi viri adhuc in ea fuerunt ſententia, quum, ſtante republica Ebræorum, omnes Iudæi quotannis ſemiſiclum; ſiue δίδραχμον Hieroſolyma in templum mitterent *** idque

Kirche part. III. *cap.* I. *§.* 8. ven. GEORG. HENR. RIBOVIVM *progr. de apoſtolatu Iudaic. ſpeciatim Paulli* & quem præ ceteris legi velimus, BERN. MONTEFALCONIVM *præfat. comm. Euſeb. in Eſai. cap.* IV. §. 3. *tom.* II. *collect. nou. patr. Græcor.* p. 355. aliosque, excitatos a doctiſſimo viro, CHRIST. NIC. KOCHIO *comm. de legation. eccleſ. veter. chriſtianor.* p. 5. & 9. tum *legati eccleſiæ*, quos dum שליחי צבור adpellant, ſimul tradunt, eos in ſynagoga ad fundendas preces fuiſſe conſtitutos. De his vide CAMP. VITRINGAM de *ſynagog. vet. libr.* III. *part.* 2. *cap.* I. IAC. RHENFERDIVM *diſſ.* II. *de decem otioſ. cap.* 8. CHRIST. SCHOETTGENIVM. *hor. ebr. & talmud. tom.* I. p. 188. ſqq. & ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVM *adparat. antiqu. ſacr.* p. 314.

*** ſcriptores, qui de didrachmo illo commentati ſunt, laudant IO. CHRIST. WOLFIVS *cur. philol. & critic. tom.* I. p.

que omnino lege diuina esset praeceptum, excisa vrbe, pecuniam hanc, si non integram; certe magnam eius partem patriarchis datam* fuisse. Ita rem exponunt: FRID. SPANHEMIVS, * HERM. WITSIVS, ** IAC. BASNAGIVS, *** ADR. RELANDVS, * IO. FRID. MAYERVS. ** Erroneam tamen esse hanc sententiam, nemo non videt. Tacemus, *didrachmum* illum cultui diuino conseruando fuisse consecratum hincque non potuisse ad vsum patriarcharum conuerti; sed id potius vrgemus, excisa vrbe, Titum imperatorem iussisse Iudaeos, didrachmum singulis annis pendere; siue, quod XIPHILINVS habet, fano iouis capitolini inferre. Neque

269. & PETR. ZORNIVS *dict. loc.* p. 269. iis tamen addi meretur IO. HENR. PARREIDT *diss. de auro Iudaico*, Lips. anno MDCCXLIV. edita, qui §. XIII. p. 28. eamdem, quam nos confutamus, sententiam amplectitur.

* *tom.* II. *oper.* p. 292.

** *miscell. sacris*, *tom.* II. *exerc.* 12. §. 4.

*** *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 2. §. 9.

* in *antiqu. sacr. ebr. part.* I. *cap.* 10. §. 11. p. 70.

** *diss. de apostol.* §. 8.

que vllo historicorum testimonio probari potest, sublatum fuisse hoc tributum; aut inter patriarchas & imperatores diuisum. De hoc argumento quum nemo fusius; nec elegantius disseruit PETRO ZORNIO, *** ad commentarium eius liceat lectorem nostrum ablegare. Quae quum ita sunt comparata, lubentes confitemur, si non certa; meliora tamen docuisse SAM. PETITVM. * Hic aperte negauit, aurum patriarchis missum fuisse e didrachmis, sed proprio Iudaeorum amore, vti scite ex *coronarii* nomine collegit. Praeterea primus haud negligenter tractauit, quae EPIPHANIVS de *decimis & primitiis* expressis verbis tradidit. Concessit quidem, euerso templo ac sublato publico sacroque cultu, nullam relictam fuisse necessitatem, primitias & decimas dandi; nec id siluit, quod praecipue ei aduersari videtur, vtrumque munus a deo sacerdotibus & leuitis concessum fuisse; apte tamen coniecit, non lege adductos; sed sponte sua adaerationem primitiarum & decimarum patriarchis conferre potuisse Iudaeos.

*** *histor. fisci Iudaic. cap.* IV. & V.
* *var. lect.* p. 369.

dæos. Hactenus bene ſcripſit PETITVS; male autem addit, quotannis non vna vice coactum fuiſſe illud aurum; ſed pro diuerſarum frugum collectionibus, diuerſo tempore inſtitutis, vario quoque tempore & quidem ter aurum coronarium exactum. Velimus, hæc rectius probata fuiſſe a viro ſummo. Nobis certe argumentum ex die, quo lex THEODOSII ſcripta fuit, ſumtum haud ſufficit. At mittimus ea, quippe quod prorſus a nobis aliena ſunt atque accedimus ad exponendam noſtram de hac re ſententiam. Ante omnia id ſtatuimus, de quo nemo ante dubitauit, *decimas* ac *primitias* EPIPHANII cum auro coronario easdem eſſe. Deinde negamus, poſt deſtructum templum omnes remiſſas fuiſſe decimas. Bene R. ABRAH. SACCVTVS:**
אחר החרבן גזרו שלא יוציאו מעשר בהמה
poſt excidium decreuerunt, ne quis ſolueret decimas pecorum. Decimæ ergo frugum rerumque aliarum facile ordini ſacro potuerunt reſeruari. Porro egregie falluntur, qui ſibi perſuadent, decimas ſolis ſacerdotibus ac leuitis, qui ſacra faciebant ac cultum diuinum perage-

** *iuchaſin fol.* 38. b.

agebant, fuiſſe conſecratas. Maxima potius earum pars illis relicta erat, qui in vrbibus illis adſignatis addiſcendæ legi operam dabant, quod recte obſeruarunt IO. LIGHTFOOTVS *** & IO. CONR. HOTTINGERVS. * Id ſane certum eſt & R. MOS. MAIMONIDIS ** ſuffragio confirmatur, תרומה hoc eſt, ἀπαρχὴν *** ſiue *primitias* æque ac decimas nec ſolum tantum in loco ſancto; nec in vrbe Hieroſolymitana; ſed in omnibus terræ ſanctæ oppidis potuiſſe comedi. Inſigne eſt inprimis teſtimonium *gemaræ Hieroſolymitanæ*, * vbi traditur; *R. Ioab. decimas ſoluit R. Achæ bar Vlæ, non eo, quod ſacerdos fuerit* אלא משום דהוה לעי באורייתא *verum eo, quod in lege laborabat.* His iure ſuo addimus

*** *tom.* II. *oper.* p. 41.

* *de decim. Iudæor. exerc.* VI. §. 29. p. 145.

** *hilcoth biccur. cap.* I. §. 6. p. 29. ed. CRAMERI.

*** Græcos id, quod Ebræi תרומה adpellant, dixiſſe ἀπαρχὴν, præter alios docent ADR. RELANDVS *antiqu. ſacr. ebr. part.* III. *cap.* 8. §. 7. THOM. GOODWIN *Moſ. & Aaron. libr.* VI. *cap.* 7. §. 3. & IO. RVD. CRAMERVS *not. in Maim. conſt. de primit.* p. 29.

* *maſſ. ſcheni fol.* 217. b.

dimus effatum HIERONYMI: ** *haec in Iudaea usque hodie perseuerat consuetudo, non solum apud nos; sed & apud Ebraeos, ut qui in lege domini meditantur die & nocte & partem non habent in terra; nisi solum deum, synagogarum & totius orbis foueantur ministeriis.* Quae ubi iunctim sumta, recte expenduntur, non solum conficitur, patriarchas nostros, tamquam capita academiarum & principes litteratorum, sua habuisse honoraria; sed etiam corroboratur nostra coniectura, illa, si non ipsas primitias & decimas; certe in locum illarum suffecta fuisse, idque ex benigna in illos Iudaeorum voluntate. *** Nec est, quod cum PETITO credamus, originem patriarcharum nobis aduersari, siquidem, paucis interpositis, eos ex tribu leuitico ortos esse, demonstrabi-

** *aduers. Vigilant. tom.* IV. *oper. part.* 2. p. 287.

*** SEB. NAN. TILLEMONTIVS nobiscum facit, qui satis adcurate haec scripsit: *cet argent se leuoit sous le titre des decimes & des premices, comme pour etre emploié à l'entretien des ceux qui s'appliquoient dans la Iudée à l'etude & à la meditation de la loi, in histoir. des emper. tom.* II. p. 987.

ſtrabitur. Plura his vt adiiciamus, per inopiam monimentorum fieri nequit. Ceteroquin diuerſas fuiſſe auri coronarii viciſſitudines, ita vt imperatores illud pendere, modo prohiberent; modo permitterent, vsque dum ipſa dignitas patriarcharum exſpirauit, ex iis, quæ ſupra diximus, luculenter patet; nec eſt; quod ea repetamus.

§. XII.

Vtcumque ſit, tanta ſane fuit Iudæorum erga patriarchas ſuos liberalitas, vt magnas illi colligerent opes iisque ad explendas prauas ſuas cupiditates ſectandumque luxurioſum vitæ genus abuterentur. De priori locuples teſtis eſt IOANNES *chryſoſtomus*, * qui quum grauiter demonſtraret, immortalis dei prouidentia ac poteſtate Iudæos ſolum impediri, quominus reſtituerent priſtinum fanum Hieroſolymitanum, hæc pronuntiauit: καὶ τοι τὶ τὸ κωλῦον ἦν ἡ μὴ θεία δύναμις ἦν ἡ ἀντιπίπτουσα, οὐ χρημάτων περιουσία πολλὴ

* *libr. contra Iudæos & gentiles, quod chriſtus ſit deus tom.* I. *oper.* p. 581. edit. MONTEFALCONII, quem ibi vide eique adde illuſtr. IO. DAN. RITTERVM *not. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 253.

λὴ παρ' αὐτοῖς; ἐ τὲς ἁπάντων πανταχόθεν φόρες συνάγων ὁ πατριάρχης, ἀπείρες κέκτηται θησαυρές; *atqui si non diuina virtus obluctaretur, quid obstaret? Annon magna vis pecuniarum apud illos est? annon ab omnibus vndique tributa colligens patriarcha, immensos possidet thesauros?* Intemperantius eos vixisse seque voluptatibus dedisse, non solum Iudae exemplo probatur apud EPIPHANIVM; ** sed etiam expressis HIERONYMI *** verbis: *consideremus patriarchas Iudaeorum & iuuenes; siue pueros effeminatosque ac deliciis adfluentes & impletam prophetiam; siue vaticinium* quippe *Esaiae* III, I. *esse, cernemus.* Cum his conueniunt effata IOANNIS *chrysostomi*, quae quum paullo ante **** a nobis recitata sunt, nimis longum foret, ea hoc loco repetere.

§. XIII.

Sexta denique superest quaestio, quomodo finiuerit quisque patriarcha suam dignitatem. Nulla sane dubitatione

O 2 opus

** *haeres.* XXX.

*** *comment. in Es.* III, 4. *tom.* III. *oper.* p. 36.

**** conf. *cap.* V. §. 2.

opus esse videtur, quin eam nonnisi cum vita amiserint, siquidem efflagitat id hereditarii iuris, quo singuli vtebantur, indoles comprobaturque patriarcharum exemplis. Recte de hac re disputauit IAC. BASNAGIVS; * huic vero sententiae ea repugnare, monuit, quae a doctoribus talmudicis de rabban Simeone III. נשיא siue *principe* & R. Meir, qui אב ב"ד siue *synedrii vicepraeses* erat, enarrantur. Simeon enim quum offendisset R. Meir, eo quod legem tulit de maiore reuerentia, principi, vbi in synedrium intraret; quam patri domus iudicii, significanda, consilium hic cepit, principis officium R. Simeoni auferendi. Quod vt efficeret, decreuerat cum R. Nathane, proponere Simeoni difficiliorem de pediculis quaestionem ad quam si non responderet, exoptatam sperabat se nacturum esse occasionem, ignorantiae rerum sacrarum eum insimulandi & de munere suo remouendi. ** Factum R. Meir nostra quidem sententia egregie conuenit superbiae & ingenio Iudaico; nec tamen sufficit ad probandum-

* *histoir. des Juifs tom.* II. p. 641. sq.

** consule IO. HENR. OTHONEM *histor. doctor. mischnic.* p. 149. sq.

bandam ſententiam nonnullorum, in poteſtate ſynedrii fuiſſe poſitum, vt præſidem ſuum priuarent eius dignitate. R. Meir ſibi id ſumſiſſe, vt tentaret, rabban Simeonem ignorantiæ coarguere, vt ceteri cognoſcerent, principis, quem aliis voluerunt ſapientia præſtare, perſona eum indignum eſſe, non negamus; ſed quum euentus ſpei illius haud par eſſet, nec conſiliis reſpondere potuit exitus. Hinc nec licet nobis colligere, tale potuiſſe fieri, quale is exſpectabat.

CAPVT SEPTIMVM DE TEMPORE, QVO PATRIARCHAE IVDAEIS PRAEESSE, TAM COEPERVNT; QVAM DESIERVNT.

ΣΥΝΟΨΙΣ

Huius sectionis tres sunt partes §. I.
Primum de tempore, quo patriarchæ Iudæis præesse, cœperunt, agitur, ita vt iis, quæ *tam* in Iudaicis §. II. III.
Quam christianis monimentis tradita sunt, enarratis §. IV.
Rectior de hac re sententia explicetur & comprobetur §. V.
Deinde tempus sublatæ illius dignitatis definitur, adductis *partim* Iudæorum §. VI.
Partim christianorum scriptorum testimoniis §. VII.
Denique nonnulla de *primatibus* Iudæorum, patriarchis suffectorum, adduntur §. VIII. IX.

§. I.

Expeditum ergo est, quale fuerit patriarcharum munus, quæue eius partes. In temporis rationes, quo illi floruerunt, iam inquirere, decet, vt certe

certe pateat, quando initium ceperit patriarcharum apud Iudæos dignitas: quando illi præcipue insigni illa floruerint potestate: quandoque, ea abrogata, simul ipsum nomen fuerit exstinctum. Eo magis ad argumentum hoc illustrandum studia nostra conferenda esse, censemus, quo grauiora adhuc de hac re inter viros doctos fuerunt dissidia. Quod vt rectius fiat; nec ipsi cum plerisque aliis, qui eumdem suscepere laborem, λογομαχεῖν videamur, necesse est, ante omnia de eo conuenire, quinam patriarcharum nomine intelligantur. IAC. BASNAGIVS * & qui eum sequuti sunt, PETR. ZORNIVS ** & ill. HOLBERGIVS *** iniquius Iudæos erroris adcusant, quod centum annis ante excidium vrbis Hierosolymitanæ patriarchas sibi præfuisse, comminiscantur. Nec in sacris litteris; nec in commentariis IOSEPHI patriarcharum vllam fieri mentionem, omnes Iudæis obiiciunt. Sed non opus est armis, si hostes desunt, quorum vis illis repelli debeat. Quis,

* *histoir. des Juifs tom.* II. p. 610.

** *histor. fisci iudaic.* p. 390.

*** *histor. Iud tom.* II. p. 360.

quæso, ex doctorum & scriptorum Iudaicorum numero commemorauit patriarchas? aut eos centum ante incendium templi secundi annis exstitisse, tradidit? Vt breuiter dicamus, quod res est, cautione opus est, ne ea, quæ inter se summopere sunt diuersa, inuicem confundantur. Aliud est nomen; aliud officium patriarcharum: alia fuit officii ratio sub eius origine, vbi non poterat non esse momenti leuioris; alia, quum indies maiora caperet incrementa, vsque dum ad summum perueniret fastigium. Omnia hæc recte discerni, quisque videt. Hinc dum de origine patriarcharum est disputatio, de iis nobis est sermo, qui ab Ebræis נשיאים ac רבנים adpellati: synedriorum; siue potius academiarum, euersa Iudæorum rep. constitutarum, præsides & rectores fuerunt: honorificum deinde obtinuerunt patriarcharum nomen & sensim tantam sibi adquisiuerunt potestatem, quanta sub imperatoribus christianis vsi sunt.

§. II.

Nunc paullo adcuratius audiamus Iudæos, de origine patriarcharum; siue potius principum, quos נשיאים dicunt,

cunt, differentes. Quantum memini, nemo Iudæorum posteritati tradidit, centum annis ante templum secundum destructum institutos fuisse hos principes. Scio quidem, prouocari ad R. DAVID GANZ; * sed tribui ipsi sententiam, quam nunquam mente concepit, hæc eius verba nos doceant: הלל הנזכר הואהנקרא הלל הזקן הנשיא הוא עלה מבבל לירושלים ומצא שם בני בתירא שנתמנו אחרי מות שמעיה ואבטליון והם הנחו ובתנו הנשיאות להלל ותחלת נשיאות היה ק׳ שנים קודם החרבון כפי שאמרו בפ״ק דשבת הלל ושמעון בנו ור״ג הזקן בנו ורשב״ג נהגו ארבעתם נשיאתם בפני הבית מאה שנה, quæ GVIL. VORSTIVS ** luculenter ita latine vertit: *Hillel memoratus fuit vocatus Hillel senior hannasi, princeps, qui ex Babel adscendit Hierosolymam atque reperit ibi filios Bethiræ, qui præfecti fuerunt post obitum Schemaiæ, & Abthalionis & hi destiterunt atque tradiderunt principatum Hilleli. Atque initium principatus eius fuit centum annis ante excidium, prouti dicunt cap. I. sabath: Hillel, Simeon filius eius, & R. Gamaliel senior, huius filius, atque R. Salomo, filius Gamalielis, quatuor illi*

* *zemach Dauid. an.* MMMDCCCCXVIII. f. 24. b.

** in *chronol. sacr. prof.* p. 84.

illi principatu defuncti sunt ante templum scil. excisum centum annis. His addidit R. DAVID, quæ supra iam recitauimus, quamuis ea tempestate Herodes Iudæorum esset rex, nihilominus præfuisse illis principes ac imperium inter vtrumque ita fuisse diuisum, vt rex rerum publicarum & militarium curam haberet; אבל דברו תורה חקים ומשפטים על פי הכ״ג והנשיא מבית דוד היו נעשים *sed omnia negotia legis, statuta atque iudicia ex præcepto sacerdotis maximi & principis ex domo Dauidis agerentur.* Quæ si adcurate expenduntur, nihil sane illis tradi, quisque intelligit, præterquam quod R. Hillel centum annis ante templum combustum principis dignitatem sit consequutus; nec quemquam de hac re dubitasse, meminimus. Quid? quod ne fieri quidem potuit, vt ista tempestate ortum fuisse principis nomen & munus, vllus Iudæorum sibi persuadeat, qui in eo omnes, mirifico consensu, conueniunt, a Mose synedrium magnum institutum fuisse. *** Quare nihil certius est, quam eos-

*** rabbinorum hanc esse communem sententiam, a Mosis ætate synedrii magni repetendam esse originem, studiose probarunt: IO. SELDENVS *de synedr. libr.* II. *cap.* 4. §.

eosdem perinde vt synedrii; ita & principis originem ad Mosen sicque ad vltima reipublicæ Iudaicæ initia referre. In hac opinione fuisse R. MOSEN BEN MAIMON, * haud obscure ex eius verbis: והוא עומד תחת משה רבינו & *is*, siue princeps, *constituebatur loco Mosis magistri nostri*, colligitur. Hæc enim ita interpretari, nos oportet, vt Moses omnium primus fuerit princeps & qui postea hoc munere functi sunt, nonnisi in locum eius successerint. Confirmantur hæc eorumdem doctorum de *catena cabbalæ*; siue שלשלת הקבלה commentis. Principes enim & adsessores synedrii legis suæ oralis, quam fingunt ac sanctissimis a deo promulgatis præceptis opponunt, custodes fuisse volunt, ita vt a Mose ad Iosuam ac a singulis principibus ad successores suos propagaretur, quod more suo, id est, eruditissime

2. IO. BEN. CARPZOVIVS *not. in Schickh. ius reg.* p. IO. HENR. BENZELIVS *syntagm. dissertat. tom.* II. p. 184. & qui in colligendis illorum testimoniis, omnium superauit diligentiam, cel. BLAS. VGOLINVS *obseru. in Reland. antiqu. sacr. libr.* II. *cap.* 7. §. 3. *tom.* II. *thes. antiqu. sacr.* p. 638.

* de *synedriis cap.* I. p. 2.

tiſſime perſequutus eſt IOANNES SELDENVS. **

§. III.

Hinc patet, quo tempore ex Iudæorum ſententia נשיא inter Iudæos eſſe, cœperit. Atuero ſicut non omnes נשיאים ſiue *principes* in patriarcharum numero haberi poſſunt; ita idem de iis adfirmare haud piget, quos רבנים dixerunt Iudæorum magiſtri. Vti ſupra demonſtratum fuit, proprius hic honoris titulus ſeptem Hillelis ſenioris poſterorum fuit, ita vt filius eius R. Simeon primus eo vteretur. R. DAVID GANZ * aperte ſcripſit: ורבן שמעו בן הלל הוא הראשון הנקרא בשם רבן *fuit autem R. Simeon filius Hillelis primus vocatus hoc nomine rabban.* Hinc ſatis patet, quum non omnes נשיאים a Iudæis *rabbanim* dicti ſunt; non fieri poſſe, vt ad id temporis ſpatium, quo introductum fuit nomen *rabban*, patriarcharum origines a Iudæis referri perſuadeamus. Titulus *rabban* non muneris nomen fuit; ſed ad ſapientiam perinde ſpectauit; ac rabbi hisque ſimilia, quibus quisque ornabatur, de quo pruden-

** de *ſynedr. libr.* II. *cap.* 16. §. 2. ſqq.
** *cit. loc.* f. 25. a.

dentiæ & doctrinæ erat opinio. Haud inepta est IO. LIGHTFOOTI ** coniectura, titulorum horum academicorum originem ex controuersiis, de quibus inter R. Schammai & R. Hillelis sectatores acriter disputatum fuit, esse repetendam, adeo vt illos doctores vtriusque partis, ad conciliandam sibi maiorem auctoritatem & eruditionis existimationem, sibi adrogauerint. Accesserunt illi, docte hæc suspicanti, ANT. BYNAEVS *** & GEORG. VRSINVS; * nos vero ei haud refragamur; addimus tamen, quum ceteris omnibus נשיאים siue principes præstare crederentur iidemque ex Hillelis familia essent, hinc factum esse, vt illustrior titulus רבן illis solis relinqueretur; inferioris autem dignitatis nomen רבי aliis quoque concederetur. Vtcumque sit, id certum est & euidens, ex tituli רבן vsu nullo modo posse confici, quonam tempore patriarchæ sint orti. Nihil ergo definiri potest, quid Iudæi de origine patriarcharum sentiant. §. IV.

** *hor. ebraic. & talmud. in Matth.* XXIII, 7. *tom.* I. *oper.* p. 357.

*** de *morte ies. christ. libr.* I. *cap.* 6. §. 14. p. 486.

* *antiquit. Ebræor. scholast.* p. 150.

§. IV.

Progredimur ad christianos scriptores; neminem tamen ex eorum numero meminimus argumentum hoc tractasse, praeter IAC. BASNAGIVM * & quos sequutos eum esse, diximus, PETR. ZORNIVM ** ac LVD. HOLLBERGIVM. *** Quid illi de hac re sentiant, breuiter explicabo. Primo loco constituunt, testimonium ADRIANI imperatoris, quod supra ex VOPISCO descripsimus, de patriarcha Iudaeorum esse intelligendum. Deinde quum supra omnem dubitationem positum sit, ante tristissima fata, quae sub Tito pertulit Iudaeorum gens, de nullo patriarcha cogitari posse, inde colligunt, rectissime ad tempora τῆς ὑςερᾶς διαςπορᾶς patriarcharum origines referri. Tum obseruant, verosimile esse, quod sensim pedetentimque potestatis suae protulerint terminos; hanc autem quum ADRIANI aeuo satis amplam fuisse, res ipsa loquitur, consequens est, vt ante aetatem ADRIANI patriarcharum nomen & munus ortum sit. Ad-

* *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 3. §. 2.
** *histor. fisci Iudaic.* p. 390.
*** *histor. Iudaic. tom.* II. p. 360.

Addunt denique, imperatore Traiano, minime tam fortunatum faustumque fuisse rerum Iudaicarum statum, vt magistratus constituendi, ius illis esset relictum; * atuero a Neruae Cocceii ingenio facili eiusque animo, erga Iudaeos benigno, ** rectius id exspectare potuisse Iudaeos. Concludunt igitur, veras patriarchae Iudaeorum origines ab aeuo Neruae esse repetendas: hoc imperante, laetiorem eorum fuisse fortunam: maiore vsos eos esse sacra sua pera-

* sub TRAIANO Iudaei variis adflicti sunt vexationibus iisque eo iustioribus, quo crudelius illi sese gesserunt erga alios, apud quos commorabantur: conferas CAESAR. BARONIVM *annal. eccles. ann.* CXVI. *tom.* II. p. 61. HERM. WITSIVM *miscell. sacr. tom.* II. *exerc.* 12. §. 10. PETR. ZORNIVM *histor. fisci Iudaic. cap.* VII. §. 1. CHRIST. ERDM. DEYLINGIVM in *Ael. Capitolin. orig. & histor.* §. 19.

* locuples huius rei testis est notissimus ille nummus, quo posterorum memoriae sedulo mandatum fuit, calumniam fisci Iudaici per Neruam fuisse sublatam. De eo varias esse virorum doctorum, qui luci publicae eum exposuerunt illustraruntque, sententias, monuerunt laudati viri ZORNIVS *dict. loc.* §. 2. p. 301. sqq. & cl. DEYLINGIVS *loc. cit.* §. XIII. p. 23.

peragendi libertate: maiorem denique dignitatem consequutas esse eorum academias, eam maxime, quæ loco synedrii magni erat, huiusque rectorem, ad aucupandam vanam gloriam, facile sibi adrogasse titulum patriarchæ.

§. V.

Satis docte hæc esse disputata, non negamus; maiore tamen cura ac distinctius, vt rite omnia intelligantur, decet nos rem explicare. Quum ex iis, quæ supra diximus, abunde constat, nostra sententia patriarchas reuera eosdem esse cum præsidibus synedrii magni, certo modo adfirmare nos oportet, origines patriarcharum; siue, vt rectius loquamur, נשיאים principum ætate coniunctas fuisse cum initiis illustrissimi illius ac supremi senatorum Iudaicorumcollegii. Nostra non interest, difficilem & maxime controuersam de origine synedrii magni tractare quæstionem. * Nobis semper placuit, nec um-

* varias virorum doctorum de hoc argumento sententias diligentius collegit ac singulorum argumenta exposuit ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS in *adparat. antiqu. sacr.* p. 572. sqq: adde alios, laudatos a beato WOLFIO *not. in Lund. iudisch. Heiligth.* p. 5:6.

umquam fore, putamus, vt nobis displiceat eorum sententia, qui synedrium a synedrio distingunt ac tale synedrium, quale ætate christi fuit, ante Babylonicum exilium exstitisse, negant. ** Esram quidem auctorem eius esse, nec adfirmamus; nec negamus; facile tamen largimur, admitti posse præsidum synedrii seriem, quam Iudæi tradunt quamque, ex eorum monimentis repetitam, præter alios exhibet

HERM.

** ornant hanc sententiam clarissima nomina: IO. VORSTII *diss. de synedr. Ebræor.* §. 37. p. 399. sqq. edit. CRENII: HERM. CONRINGII de *rep. Ebræor.* §. XXXVII. IO. FRISCHMVTHII de *rege eligendo & deponendo* §. 53. sqq. HERM. WITSII *miscell. sacr. tom.* I. *libr.* II. *diss.* 3. §. 79. sqq. IO. CLERICI *diss. de synedrio LXXII. virorum*, quæ subiecta est *commentario* eius in *libros histor. vet. test.* §. 6. IO. FRANC. BVDDEI *histor. eccles. vet. testam. period.* II. *sect.* 6. §. II. IO. GEORG. PRITII *introd. in lect. nou. test. cap.* XLV. §. 4. p. 558. edit. HOFFMANNI: AVG. CALMETI in *proleg. & dissert. tom.* I. p. 97. IO. LAVR. DE MOSHEIM in *obseru. ad Calmeti disquis. biblicas*, germanice versas, *tom.* II. p. 275. IO. PHIL. BARATTIERI in *dissertat. sur l'autorité des Juifs*, quæ *tom.* II. vers. Gallicæ *itinerarii R. Beni. Tudel.* exstat, §. 11. p. 88. & HENRIC. BENZELII *syntagm. dissert. tom.* II. p. 205.

HERM. WITSIVS. *** Hæc ſi conſtituimus, Efraim ſi non primum ſynedrii præſidem fuiſſe; certe tamen in locum eius, poſtquam ex vita migrauerat, ſucceſſiſſe, recte creditur. Atuero non ſufficit, noſſe, quando præſides ſynedrii ſupremum magiſtratum apud Iudæos gerere, cœperint; ſed de eo etiam diſquirendum eſt, quo tempore præſides illi munus ſummi magiſtratus cum rectoris academiæ perſona commutauerint. Id tunc accidiſſe, quisque perſpiciet, quum ſynedrio magno omnem iuris dicendi & de cauſſis ciuilibus cognoſcendi poteſtatem, cuius exigua pars vsque ad excidium vrbis ſanctæ ei relicta erat, Romani adimerent ſicque non iudices; ſed doctores iuris patrii eſſent collegio illi adſcripti, quod nihil præter nomen *ſynedrii magni* ſeruauerat. Eo ſane tempore reuera patriarchas noſtros fuiſſe ortos, certe nobis perſuademus. Adpellationem *principis* antiquis moribus iam receptam fuiſſe, non negamus; ſed ea ſola fuit, quæ priſcis ſynedrii præſidibus cum nouis academiæ rectoribus communis eſſe ſolet. Nouum ſane erat munus, quo fungeban-

*** *dict. loc.* §. LXXVIII. p. 444.

bantur, quod, insolentia Iudæorum & negligentia imperatorum Romanorum, indies cepit incrementa, vsque dum nomine patriarcharum conspicui, suprema potirentur potestate. Hinc facile a nobis impetramus, vt ad imperium Titi patriarcharum nostrorum referamus originem, si vera quidem sunt, quæ Iudæorum magistri de R. Iochanan ben Saccai tradunt, Titum Vespasianum precibus eius id dedisse, vt synedrio magno, derelictis Hierosolymis, sedem suam Iamniam transferre, permitteret, eumque tunc primo munere principis fuisse functum. **** Atqui factum id est, postquam templum fuit euersum; nec dubium est, tum synedrium magnum, amplissimum iudicum Iudaicorum corpus, in academiæ formam fuisse redactum adeoque qui illis præerat, principi, licet pristinum retineret titulum; nullam tamen relictam præter rectoris dignitatem. Hæc

P 2 quum

**** vt de Iudæis iam sileamus, legas doctores christianos IO. HENR. OTHONEM *histor. doctor. mischnic.* p. 99. sq. IO. LIGHTFOOTVM *tom.* II. *oper.* p. 97. & *oper. posth.* p. 87. & ven. IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM *cit. loc.* p. 124.

quum gererentur, tristissimus erat Iudæorum status; postea tamen sensim meliori vtebantur fortuna. Quare probabile est, sub initium academiæ Iasnensis prudenter eos abstinuisse a nouo honoris titulo, ne caderent in odium offensionemque imperatorum sibique contraherent culpam, quod imperium in ciues suos adfectarent. Facilius sane *principis* nomen excusabant, quod scholasticum esset & antiquissimis maiorum moribus ad eos transmissum: ac synedrii præsidem significaret. Quum Iudæis esset liberum, suis legibus viuere, hancque ob caussam synedrium relinqueretur, fas quoque: immo necesse fuit, vt eius capiti perinde nomine נשיא ac toti collegio adpellatione סנהדרין vti, permitteretur. Maiora pericula a *patriarchæ* titulo metui poterant, plane nouo & antea inaudito, de cuius notione parum constabat, num nouum munus significaret, ad recuperandam pristinam libertatem ac instaurandam quasi priscam reip. formam inuentum & excogitatum; nec ne? At uero quum immutaretur rerum status: Iudæis accederet paullum firmitatis ipsique animos demissos iam & oppressos sensim erigerent ac præterea benignitatem Ner-

Neruæ experirentur, facili ſane negotio accidit, vt ad conciliandam rectoribus maiorem æque apud ſuos ciues; quam gentes profanas auctoritatem & addendam dignitatis ſpeciem, priſco *principis* titulo adiicerent nouum *patriarchæ* nomen; ſiue potius per hoc illum græce interpretarentur. De origine patriarcharum hactenus.

§. VI.

Accedimus ad alteram argumenti noſtri partem, qua de tempore diſquirendum eſt, quo *patriarchæ* Iudæorum deſierunt. Iterum orationem a Iudæorum de hac re ſententia ordiamur. Quando ſynedrium magnum penitus ſit ſublatum, illi non ſatis adcurate definiunt. R. MOSES BEN MAIMON ſatis habuit, quum varias illius migrationes narraſſet, hæc notare: * וסופן לטבריא *poſtrema migratio fuit ea, quæ fiebat Tiberiadem*. R. ABRAH. SACCVTVS ** paullo adcuratius, quid ſenſerit, expoſuit. Poſtquam tradidit, Hillelem iuniorem, ſeculo chriſtiano quarto auctorem

* de *ſynedr. cap.* XIV.

** *iuchaſ.* f. 90. b.

rem fuiſſe *cycli decemnouennalis*, *** hæc adiecit: ואחריו לא היה בית דין עד *& poſteum domus iudicii amplius non erat.* Quæ, niſi recte explicentur, facile, male intellecta, alios in errorem adducere poſſunt. Quare adſcribere haud piget verba IO. SELDENI, * iſta ita interpretantis: *quod dum pronuntiatur, ad hunc modum intelligendum eſt: non quod vsque ad tempora illa duraſſent alicubi ex lege & moribus auitis ſatis vndiquaque integra & legitima; ſed quod, quum hactenus vmbra illa ſynedrii ad intercalandi munus, quod quidem ampliſſimum erat, vsque in Hillelis illius tempora; nec ſine intermiſſionibus, duraſſet, etiam illam iam ita euanuiſſe, vt diutius nequidem eiusmodi vlla dein haberentur.* Non ergo Hillelis tempore prorſus exſtinctum fuit ſynedrium; ſiue potius academia Tiberienſis; ſed amiſſa fuit, quæ alioquin illi commiſſa erat, temporis dimetiendi cura, non quod ea illis eſt prohibita; ſed quod Hillel certum cyclum fixit, adeo

*** conf. ANDR. GEORG. WAEHNERVM *antiqu. ebræor. tom.* II. p. 38. vbi male, Hillelem Babylonicam rexiſſe academiam, ſcripſit.

* de *ſynedriis libr.* II. *cap.* 16. §. 10.

adeo vt auctoritate synedrii ad designandos annos intercalares haud esset opus. Nec rectius R. AZARIA ** in hoc argumento versatus est. Quantum ex eius oratione obscura colligere licet, anno CCLXX. post excidium vrbis; siue anno christianorum CCCXL. finitum fuisse synedrium magnum, credit; quamuis, paucis interpositis, negare videatur, synedrium illud exstitisse aetate R. Iudae sancti. Alii, quum rabban Gamalielem, filium R. Iudae sancti, vltimum eorum fuisse, qui nomine רבן insignirentur, statuunt, simul vltimum eum fuisse synedrii praesidem, adfirmant. *** Adeo sane rerum suarum, maxime si de temporis rationibus sit disputatio, expertes sunt Iudaei, vt manifesto sibi inuicem contradicant; nec ipsi; nec alii, quid sibi velint, intelligant.

§. VII.

Certiora ex monimentis christianis discimus. Duo nobis supersunt testi-

 monia,

** in *meor. enaiim tract.* II. *cap.* 24. vnde insignia loca, latine versa, GVIL. VORSTIVS exhibet *not. in R. Dau. Ganz. chron.* p. 189. sqq.

*** legas WITSIVM *loc. cit.* p. 446.

monia, quibus facile confici poteſt, quonam tempore abrogata ſit patriarcharum dignitas. Alterum in lege * exſtat, a Theodoſio iuniore anno ſeculi quinti vigeſimo nono data. ** Ibi expreſſe hæc edicta ſunt: *Iudæorum primates, qui in vtriusque Palæſtinæ ſynedriis nominantur; vel in aliis prouinciis degunt, quæcumque poſt exceſſum patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſoluere.* Quibus verbis id vnum patet, eo tempore, quum hæc lex ſcripta fuit, non exſtitiſſe patriarchas; eorum vero nomen tum demum fuiſſe antiquatum, eiusdem legis auctoritate probari non poteſt. Recte hoc SAM. PETITVS *** obſeruauit & quum nouiſſimam eorum mentionem ab Honorio, an. CCCCIV. factam eſſe, monuiſſet, concluſit, eo interuallo, quod inter annos ſeculi quinti quartum & vigeſimum nonum interceſſit, accidiſſe patriarcharum exceſſum, vt imperatorum verbis vtar. Miramur, viro ſummo excidiſſe Gamalielem patriarcham, cuius nomen lex HONORII, ann. CCCCXV. ſcripta, ſeruat.

* *l. vlt. cod. Th. de Iudæis.*

** conf. quæ ſupra diximus *cap.* I. *§.* 10.

*** *var. lect. cap.* XXIV. p. 373.

uat.* Legantur: DAV. BLONDELLVS,** IAC. GOTHOFREDVS, *** FRID. SPANHEMIVS, * PETR. ZORNIVS ** & SEB. NAN. TILLEMONTIVS, *** qui eleganter coniecit, Gamalielem illum omnium fuisse vltimum patriarcham. Alterum, quod in hunc locum spectat, effatum THEODORETI * est, qui quum vel vanam gloriolam Iudæis de patriarchis suis auferre vellet, hæc protulit: ἄλλως τε καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησαν καὶ χρόνος διελήλυθεν, ἐξ οὗ καὶ ἡ τούτων ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο, *præterea illi omnino interierunt & dudum est, ex quo horum quoque principatus finem cepit.* Hunc sine caussa erroris dum adcusauit IAC. BASNAGIVS, ** grauius ipse peccauit. Ait: *Theodoret a dit que cette charge etoit abolie longtems auparauant qu'il trauaillat à ses dialogues; mais il s'est trompe, car ce ne fut que l'an 429. tres peu de tems auant qu'il publiat son ouurage,*

P 5 *que*

* *l.* 22. *cod. Th. de Iud.*
** de *primat.* p. 532.
*** *not. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 269.
* *tom.* I. *oper.* p. 1052.
** *histor. fisci Iud.* p. 414.
*** *histoir. des empereurs tom.* II. p. 986.
* *dial.* I. *tom.* IV. *oper.* p. 22.
** *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 2. *§.* 20.

que les patriarches furent cassés & qu'on ne vit plus de princes de la captiuité d'occident. Primum THEODORETVS nullo loco scripsit, ante longum spatium desiisse patriarchas; sed χρόνος διελήλυθεν, *tempus aliquod præterlapsum est*: deinde vtitur vir doctissimus argumento, ad probanda ea, quæ probari debent, haud idoneo, siquidem nullo modo demonstrari potest, excessum patriarcharum ad ann. CCCCXXIX. esse referendum: denique, quod caput rei est, non attigit præcipuam quæstionem, quando Theodoretus scripserit dialogos? Iam dudum viri docti probarunt, *** THEODORETVM opus suum scripsisse ann. CCCCXLVI. Hinc intelligimus, quamuis posueris, nomen patriarcharum demum ann. XXIX. exstinctum esse; tamen THEO-

*** de ætate *dialogorum*; siue potius *quatuor librorum*, *Eranistis* nomine inscriptorum, ex quibus hæc desumta sunt, ac tristioribus, quæ experti sunt, fatis, legantur: GVIL. CAVEVS *histor. litterar. scriptor eccles. tom.* I. p. 407. LVD. ELL. DVPIN *biblioth. des auteurs ecclés. tom.* IV. p. 101. IO. GARNERIVS *diss. de libris Theodoreti*, *auctario oper. Theodor.* inserta, p. 238. CASIM. OVDINVS *commentar. de script. eccles. tom.* I. p. 1099. & IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. Græc. vol.* VII. p. 436.

THEODORETVM vere adfirmasse: χρόνος διελήλυθεν, quod aliquod temporis spatium post euentum illud præterierit. Hæc si iunctim sumta, recte expenduntur, vero sane simile est, patriarchas circa ann. CCCCXX. ex synedriis fuisse proscriptos.

§. VIII.

Synedria certe omnia eo tempore in prouinciis Romanis sublata esse, quo minus nobis persuadeamus, efficit lex memorata, vbi perspicue commemorant cæsares, *primates* in vtriusque Palæstinæ synedriis post excessum patriarcharum nominari. Verba illa inter difficiliora legum Romanarum de Iudæis effata referenda esse, omnes consentiunt. Quid alii docte & eleganter disputauerint, prius exponam; quam quid ego sentiam. SAM. PETITVS * paullo longius a veritate discessit omniaque inter se miscuit, quum *primates*, & *archisynagogos* & *patres domus iudicii* eosdem esse, coniiceret. Loquuntur imperatores de *synedriis*, quid ad ea synagogæ cum archisynagogis? Ceteroquin eo nomine laudandus vir doctissimus est, quod sedulo notauit alium

* *var. lect. cap.* 24. p. 374.

um legum Romanarum locum, quo constat, *primates illustrium patriarcharum arbitrio suam habere sententiam*,** adeoque primatum officium tempore patriarcharum iam receptum fuisse. IAC. GOTHOFREDVS *** de primatum dignitate eiusque rationibus parum sollicitus fuit; sed satis ei fuit, monere, fuisse *primates electos, sic vt quum successionis iure & πατροπαραδότως patriarchatus deferretur, primates isti iam in synedriis nominarentur, id est, electionis iure hanc primatiam sortirentur.* Quæ sic breuiter complexus est, copiose deinde explicat; argumentis tamen, quibus vtitur, id quidem efficitur, primates collegisse, quod patriarchæ olim soluebatur, aurum coronarium; eos autem demum post excessum patriarcharum constitutos fuisse, non æque probatur. Refragantur sane viro summo *primates*, quos patriarcharum ætate iam fuisse, paullo ante diximus. Nec VITRINGA * rem penitus perspexisse videtur, dum hoc nomine intelligi vult *synedriorum Iudaicorum adsessores* eosdemque, fuisse cen-

** *l.* 8. *cod. Th. de Iudæis.*
*** *not in l.* 29. *cod. Th. eod. tit.* p. 269.
* de *synagoga veter. libr.* II. *cap.* 5. p. 224. & de *decem otios.* p. 277.

censet cum proceribus & maioribus, hebraice, vt autumat, רבנים. Humani vero quid eum passum esse, quum hæc scriberet, ex ebraico nomine רבנים intelligitur, quod patriarcharum proprium fuit. Quantum memini, omnium diligentissime hoc argumentum tractauit IAC. RHENFERDIVS ** ac nihil prætermisit, quod ad ornandam PETITI sententiam, cui se addixit, faceret. Primates ergo cum presbyteris & patriarchis, legum duarum consensu, comparare, instituit, quarum altera presbyteris: *** altera primatibus curam, aurum illud coronarium exigendi, tribuit. Dubito autem, quin idem auri colligendi fuerit modus tempore patriarcharum & post eorum excessum. Exigebant illud in synagogis archisynagogi; tamen non sibi seruabant; sed ad patriarchas deportabant; at post excessum patriarcharum idem aurum, quod olim susceperunt patriarchæ, suscipiebant primates. Ipsa sane, quibus lex nostra expressa est, verba perspicue docent, aliam fuisse rationem exacti auri, quum patriarchæ adhuc præessent Iudæis; aliam post eorum in-

** de *decem otios. diss.* II. *cap.* 4. §. 12. sqq.
*** *l.* 14. *cod. Th. de Iudæis.*

interitum. Præterea, ſatis perſpexit RHENFERDIVS, repugnare ei *ſynedrii* nomen, quo efficitur, vt primates non in ſynagogis; ſed in ſynedriis, id eſt, iudiciis recte quærantur. Leui reſpondet coniectura, *ſynedrii* vocem καʃαχρηςικῶς potius de ſynagoga; quam ſynedrio accipiendam eſſe, tandemque concedit, ſynedria a ſynagogis diuerſa & primates ratione officii ſui ἀποσυναγώγȣς fuiſſe. Præter hos, iam laudatos, viros, IAC. BASNAGIVS *** de primatibus ita loquitur, vt ipſe, quid certe ſtatuendum ſit, ignoraſſe videatur; PETRVS vero ZORNIVS: **** *vox primatum*, inquit, *itaque generalis eſt & magiſtratibus Iudæorum quibusuis, ſiue politicam; ſiue eccleſiaſticam rem curantibus competit.*

§. IX.

Recentiore ætate his, qui de Iudæorum primatibus egerunt, adiunxit ſe vir celeberrimus, PETRVS WESSELINGIVS, * ac feliciter falſas opiniones erroresqe turbulentos reiecit viamque muniuit, verum inueniendi. Quum fuſe eleganterque monſtraſſet, Iudæos in vrbibus Romani imperii ſuos

*** *hiſtoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 3. §. 24.
**** *hiſtor. fiſci Iud.* p. 415.
* de *archont. Iudæor. cap.* X. p. 193.

ſuos habuiſſe ἄρχοντας, id eſt, magiſtratus ciuiles, hoc nomine per eminentiam ornatos, bene obſeruauit, archontes illos diuerſos fuiſſe a ſynagogarum præfectis, ac *primates* noſtros, *proceres* & *iudices*, in aliis legum Romanarum monimentis commemoratos, eosdem eſſe. Non poſſumus ſane non in eo cum viro celeberrimo conſentire, quod primates magiſtratum geſſerint ciuilem; at uero ea, quæ deinde de illorum auctoritate diſputat, nobis quidem haud probantur. Diſcrimen potius fuiſſe credimus inter archontes Iudæorum, qui ante euerſam eorum remp. in variis imperii Romani prouinciis exſtiterunt, & primates inferioris ætatis. Maior illorum fuit auctoritas maiorque poteſtas, illis Romanarum benignitate permiſſa; propter varias vero ſeditiones, a Iudæis excitatas, valde contracta; inſtaurata tamen ac ſenſim recuperata. Quare de primatibus nobis perſuademus: I) fuiſſe eos rectores academiarum inferiorum. Synedria enim eo tempore academias fuiſſe, ſæpenumero iam diximus: II) academiæ inferiores ſynedriorum minorum; Tiberienſis autem ſynedrii magni præ ſe ferebat ſpeciem, hinc huic illæ erant ſubiectæ:

III)

III) ſimili ratione patriarchæ Tiberienſis obſequii lege obſtricti erant primates: IV) hinc de eius arbitrio ſuam habebant poteſtatem, ** id eſt, a patriarcha conſtituebantur: V) aderant, illis perinde vt patriarchæ, apoſtoli, teſte EVSEBIO *Cæſareenſi*: *** VI) ſi qua illis fuit iuris dicendi poteſtas, itidem nonniſi arbitraria erat, eaque vtebantur maxime in cauſſis, ad ſuperſtitionem eorum pertinentibus, beneficio imperatorum: VII) quum patriarchæ deſiiſſent, primates in ſynedriis nominabantur, hoc eſt, munus ſuum non ex voluntate patriarchæ; ſed ex iure eligendi, quod doctores academiarum ſibi vindicarunt, ſuſcipiebant. Hactenus de primatibus. Id vnum addere, liceat, IAC. GOTHOFREDVM * & SEB. NAN. TILLEMONTIVM ** ſuſpicatos eſſe, exſtinctam fuiſſe patriarcharum dignitatem ob ſceleratam, quam illi ſectabantur, viuendi rationem.

CAP.

** *l.* 8. *cod. Th. de Iudæis.*

*** *comment. in Eſ.* XVIII. *tom.* II. *collect. nou. patr. & ſcript. Græc.* MONTEFALCONII p. 425.

* *not. in cod. Theodoſ. tom.* VI. *part.* I. p. 296.

** *hiſtoir. des emp. tom.* II. p. 896.

CAPVT OCTAVVM

QVO

PARTIM DE GENERE PATRIARCHARVM DISSERITVR; PARTIM EORVM SERIES, NOTATIS TEMPORVM RATIONIBVS, EXHIBETVR.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ

Primo loco de genere patriarcharum differitur §. I.

Ex explicatur, quid comminiſcantur Iudæi §. II.

Quid ſtatuant doctores chriſtiani tam veteres §. III.

Quam recentiores, quæque vera ſit hac de re ſententia §. IV.

Deinde ipſi patriarchæ recenſentur ac illuſtria eorum facta enarrantur §. V-X.

§. I.

Accedimus tandem ad vtiliſſimam noſtri argumenti partem, qua quo genere patriarchæ Iudæorum ſint orti? diſpiciendum nobis eſt. Si vera fateri libet, hæc omnium, in quibus explicandis adhuc verſati ſumus, quæſtio-

Q num

num eſt grauiſſima æque atque vtiliſſima, ſiquidem illa ad confutandos Iudæorum errores, ſanctiſſimæ chriſtianorum diſciplinæ oppoſitos, eorumque inepta, quibus contra ſalutarem de chriſto vero meſſia doctrinam adhuc pugnarunt, argumenta & recte capienda & feliciter refellenda, multum valet. Conſtat inter omnes, quam diuina vis inſit in oraculo Iacobi de ſceptro, a tribu Iudæ ante aduentum meſſiæ non receſſuro, quamque luculenta & certa ſit concludendi ratio, qua chriſtiani doctores omni tempore vſi ſunt ad demonſtrandum, meſſiam vere veniſſe, propterea quod omnis regni ac ſupremæ poteſtatis expertes eſſe Iudæos, videamus. Nec negare, libet, magiſtros eorum, doctrinæ laude & ſumma apud gentem ſuam auctoritate conſpicuos, in eo omni tempore maximam collocaſſe operam, vt ſuæ cauſſæ conſulerent & quas eorum aduerſarii proferunt, exquiſitiſſimas argumentationes diluerent. Multa quidem eos excogitaſſe futilia & leuia, neminem fugit; nobis tamen ii ſatis docte & adcurate diſputaſſe videntur, qui, vt philoſophorum formulis rem declaremus, ratiocinii chriſtianorum pro-

propoſitionem maiorem: *ſi ſceptrum Iuda amiſit, certe veniſſe meſſiam*, tamquam veram, admittunt hincque nec in interpretatione vaticinii a nobis recedunt; minorem vero, *amiſiſſe Iudam ſceptrum*; ſiue regiam dignitatem poteſtatemque, leges ferendi, ſibi negandam eſſe, ſentiunt. Quod dum ſuſcipiunt, impoſita illis eſt neceſſitas, argumentis hiſtoricis probandi, aut adhuc exſtare regem Iudæorum, ex tribu Iuda ortum; aut certe pluribus poſt chriſtum natum *ſeculis præfuiſſe Iudæis aut regem; aut principem; regia tamen poteſtate conſpicuum, ita vt tempore ieſu Nazareni ſceptrum a Iuda ablatum fuiſſe, nequeat recte dici. Quo factum, vt varias Iudaici doctores ingreſſi ſint rationes, officio, quod ab illis iure exſpectatur, ſatisfaciendi. *Alii*, qui manifeſtis delectati ſunt nugis fabuliſque rabbinicis, id eſt, ineptis, clamant, in terris, neſcio quibus, incognitis florentiſſimum eſſe Iudæorum ſtatum: proprios eorum ibi eſſe reges ipſisque nihil deeſſe, quod ad ſceptri Iacobæi indolem referatur. *

Q 2 *Alii*,

* de his vide IO. PHIL. BARATTIERIVM in *diſſertatione*, quæ hac inſcriptione: *rela-*

Alii, qui maiorem veritatis speciem dictis suis conciliare, student, ad aechmalotarchas & patriarchas Iudaeorum, de quibus adhuc disputauimus, prouocarunt. Hos, monent, duxisse sanguinem a Dauide: hinc ortos esse ex tribu Iudae: rexisse Iudaeos ac tantum non regia esse vsos auctoritate. ** Num recte haec a Iudaeis contendantur, eo minus hoc loco disputabimus, quo maior est virorum eruditorum numerus, qui in vindicando Iacobi oraculo a Iudaeorum obtrectationibus egregiam collocarunt operam. *** Iudaeorum

tions touchant le pretendu empire que les Juifs croient encore auoir en diuerses parties du monde ornata, *tom.* II. versionis Gallicae *itinerarii R. Beniam.* exstat, p. 183.

** notarunt id: IOS. VOISINVS *obs. in Martin. pugion. fidei part* II. *cap.* 4. §. 10. p. 335. IO. COCCEIVS *not. in sanhedr.* p. 127. MART. HELVICVS de *sceptro Iudae* p. 264. *tom.* VI. *criticor. sacror.* IAC. ALTINGIVS in *schilo libr.* I. *cap.* 3. 13. 15. 19. *libr.* IV. *cap.* 5. HVMPHR. PRIDEAVX in *histoir des Juifs & des peuples voisins tom.* 1. p. 200. RICH. KIDDERVS in *demonstr. de christo vero mess. part.* III. *cap.* 8. §. 23. & PETR. ZORNIVS *histor. fisci Iud.* p. 393.

*** doctissimos de vaticinio Iacobi commentarios diligenter enarrarunt praeter LI-

dæorum teſtimonia, quæ in hunc locum adduci ſolent, maximam partem ita ſunt comparata, vt ea de æchmalotarchis Babylonicis prolata eſſe, quisque intelligat, quæ nos quidem iam miſſa facere oportet. Duplex potius munus noſtrum eſſe, credimus, alterum, vt quid Iudæi de patriarcharum occidentalium origine comminiſcantur, exponamus; alterum, vt quid vere de hac re ſit ſentiendum, ſignificemus. Quodſi confectum fuerit, eos haud ex tribu Iudæ fuiſſe, ſimul omnis Iudæorum diſputatio, contra rectiorem de ſceptro Iudæ interpretationem facta, confutabitur.

LIENTHALIVM eiusque ſimiles ſcriptores, beatus auus, IO. FRANC. BVDDEVS *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom.* I. p. 284. cel. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN *not. in hiſtor. mund. vniuerſal. tom.* II. p. 339. & ven. IO. GOTTL. CARPZOVIVS *adparat. antiqu. ſacr.* p. 19. Prætermiſſum his iure ſuo addimus elegantiſſimum librum Belgicum, ab HENR. VAN HEYMENBERG conſcriptum atque ſub hac inſcriptione: *de komſte van de Schiloh ter beſtemder tiid voor - gevalen ende tol - vloed der Heydenen tot denſelven* Vltraiecti MDCXCV. in lucem emiſſum, vbi p. 333. ſq. de Hillelis poſteris docte diſputauit.

§. II.

In explicando patriarcharum suorum genere, Iudæorum quidem magistri sibi haud constant. Id vnum certum est, Hillelem seniorem omnium haberi patrem ac satorem; quis vero ille fuerit, in dubitatione & controuersia esse positum. Sunt quidem, qui satis confidenter sibi aliisque persuadere student, omnino patriarchas hos esse ex tribu Iuda. Patet id non solum ex ORIGENE, * qui docte contra nugas illas rabbinicas disputauit atque expresse hæc tradidit: *Φάσκοντες τὸν ἐθνάρχην ἀπὸ τȣ̃ Ἰȣ́δα γένȣς τυγχάνοντα ἄρχειν τȣ̃ λαȣ̃, dicunt, permanere adhuc ex genere Iudæ, istum videlicet, qui est gentis eorum princeps*; sed etiam doctores gemarici, vti supra iam monstrauimus, vaticinium Iacobi ita interpretati sunt: ** תניא לא יסור שבט מיהורה אלו דאשי גלויות שבבבל שרודין את ישראל בשבט. ומחוקק מבין רגליו אלו בני בניו של הלל שמלמרין תורת ברבים *traditur: non recedet sceptrum a Iuda. Hi sunt æchmalotarchæ Babylonici, qui dominantur Israeli sceptro: & legislator e medio pedum*

* de *princip. libr.* IV. *cap.* 3. *tom.* I. *oper.* p. 113.

** vid. *gem. codic. sanh. cap.* I. *§.* 1.

pedum eius, hi sunt posteri Hillelis, qui docent legem publice. Ita COCCEIVS latine verba talmudica expressit; nec dubitamus, rectius eum mentem scriptoris cepisse; quam RAYM. MARTINI, *** qui nimis copiose probare suscepit, voces בני בניו של הלל non de posteris & nepotibus; sed de discipulis Hillelis eiusque filiorum intelligendas esse. Alii non solum tribum Iudam; sed ipsam etiam Dauidis familiam nominant, ad quam Hillel & ceteri præsides synedrii referantur. De Hillele testimonia talmudica aliorumque scriptorum notarunt IO. COCCEIVS, * IO. HENR. OTHO ** & IO. CHRISTOPH. WOLFIVS. *** Nihilominus R. Iudam sanctum, qui Hillelem inter maiores suos numerauit, ex tribu Beniaminitica ortum esse, omnes consentiunt. * Nec negari potest, facile hæc a Iudæis conciliari, vt ex hoc R. IVDAE effato colligitur: ** אין סליק ר׳ חונא ריש גלותא להכא

*** *pugion. fidei* p. 316. edit. CARPZOVII.
* *not. in sanhedr.* p. 127.
** *histor. doctor. mischnic.* p. 74.
*** *bibliothec. Ebr. tom.* II. 824.
* conf. WOLFIVM *dict. loc.* p. 839.
** apud COCCEIVM *cit. loc.*

מיתב ליה לעיל מיני הוא מן יהודה ואנא מן בנימין ההוא מן דבריא ואנא מן נוקבויתא *si adscendat Raf princeps captiuitatis huc, collocarem eum supra me. Nam ipse est ex Iuda; ego vero Beniamine. Atque adeo ipse a maribus est, ego a femellis.* Confirmantur hæc *glossa* antiquiore, ad MAIMONIDEM *** adſcripta, quam IOS. VOISINO * debemus: בירושלמי מפני מה ראש גולה שבבבל גדול מן הנשיא שבא״י מפני שהוא בא מן הזכרים והנשיא בא מן הנקבות *ſcriptum est in talmude Hieroſolymitano: quare dux captiuitatis Babylonicus maior est naſi in terra Iſraelis? quia nimirum ille oriundus est e maribus; iste vero e feminis.* Simili modo alibi ** genus R. Iuda a Schephathiah, quem Dauid ex Abital ſuſcepiſſe legitur, 2. *Sam.* III, 4. arceſſitur idemque de materno genere accipiendum eſſe, facile cognoſcitur. Incerta tamen hæc omnia eſſe, liquet; nec operæ pretium eſſe cenſemus, in iis enarrandis diutius morari.

§. III.

Quæ in chriſtianis monimentis hac de re tradita ſunt, itidem parum inter ſe

*** de *ſynedr. cap.* IV.

* *pugion fid.* p. 335.

** *tract. chethub. cap.* IV.

ſe conueniunt, vti præter alios SEB. NAN. TILLEMONTIVS * recte obſeruauit. ORIGENES, quum ea, quæ paullo ante excitaui, commemoraſſet, nihil ad confutandam Iudæorum argumentationem adtulit, præterquam quod ne ſpecies quidem libertatis priſtinæ ac ſacri cultus publici illis relicta ſit, adeo vt riſu dignum ſit, ad patriarchas noſtros prouocare. CYRILLVS *Hieroſolymitanus* ** eamdem ingreſſus eſt diſputandi rationem, vt ſignificaret, pudidum eſſe, ſi hanc cauſſam non iocoſe ageret, ac nugas rabbinorum de patriarchis confutaret, omnino dignas, quæ omnium irriſione ludantur. Eo tempore, quo ſcripſit illa CYRILLVS, argumento huic omne pondus haud defuiſſe, facile intelligitur, ſiquidem omnibus ea nota & perſpecta ſatis erant, quæ conſulto ac prudenter ſilentio transmiſit. Nobis vero, iſta ignorantibus, non poteſt non perobſcurum eſſe CYRILLI effatum, adeo vt optandum ſit, vt melius ea explicuerit, quæ verbis his:

* *hiſtoir. des emper tom.* II. p. 987.

** *catecheſ.* XII. §. 7. p. 152. *oper.* edit. MILLES.

τί τὸ τȣ́των γένος, καὶ τίς ἡ μήτηρ, exprimere voluit. Idem fere ſentiendum eſt de difficiliori THEODORETI *** loco, itidem a nobis paullo ante exhibito. Nemo ſane adhuc diuinauit, quis verborum: ἀλλὰ πόθεν ὁρμῶνται; ἐξ Ηρώδȣ τȣ̃ ἀλλοφύλȣ, ὃς πατρόθεν μεν Ασκαλωνίτης ἐτύγχανεν ὢν, μητρόθεν δε Ιδȣμαῖος, *vndenam igitur ſunt orti? ab Herode alienigena, qui paterna origine Aſcalonita; materna vero Idumæus fuit*, ſenſus eſſet. EPIPHANIVS, * dum patriarchas ſuos a Gamaliele procreatos eſſe, narrat, cuius a diuo Luca fit mentio, vera quidem tradit, nihil tamen id valet ad componendam controuerſiam. IOANNES denique *chryſoſtomus* ** haud obſcure declarauit, ſe in ea eſſe opinione, quod non ſolum patriarchæ in locum pontificum maximorum ſucceſſerint; ſed etiam a Iudæis ipſis eodem loco haberentur. Num vero eos quoque ad ipſum ſacerdotum ordinem retulerit hocque modo eos ex tribu Leuitica fuiſſe, putauerit, non ſatis liquet.

§. IV.

*** *dialog.* I. *tom.* IV. *oper.* p. 22.

* *hæreſ.* XXX. *cap.* 4.

** *homil.* IV. *aduerſus Iudæos tom.* I. *oper.* p. 446.

§. IV.

Ex recentiorum doctorum christianorum numero, quoad scio, nemo præter IAC. BASNAGIVM, * quid hac de re sentiat, definite explicauit. Hic aperte quidem professus est, patriarchas Iudæorum ex tribu Leuitica fuisse ortos; quibus tamen ad hanc sententiam amplectendam adductus sit, rationes præteriit silentio. Satis ipsi fuit, pauca hæcce adferre: *Ierusalem aiant été ruinée & le peuple dispersé en diuers lieux, il ne se trouua qu'un petit nombre de pretres & de laiques, qui tacherent à établir leur domicile dans la Iudée. Ce qui restoient de Levites & de sacrificateurs, travaillerent a rassembler les debris de leur nation. Tiberias & Iaphné leur parurent des lieux propres pour cela. L'autorité se trouva alors toute entiere entre les mains des pretres qui etoient mieux instruits de la loi qu'on vouloit conseruer & les plus propres à l'enseigner aux autres*; paucis autem interpositis,** ita orationem concludit:

* *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* I. §. 4. p. 608.

** p. 612.

cludit: *ainsi ces chefs de la captiuité dans la Judée etoient point de la maison de David; mais de la tribu Levi.* Insignem sane conciliasset coniecturæ suæ speciem veritatis, si, quod rei caput est, rite demonstrasset, eo tempore nullos inter Iudæos doctrinæ & eruditionis laude claros fuisse, præter sacerdotes ac Leuitas. Sed quam id abhorreat a veritate, nemo non intelligit. Certiore sane argumentatione hæc opinio posset confirmari, si vera essent, quæ nonnulli virorum doctissimorum tradiderunt, dignitatem præsidis synedrii magni arctissimo vinculo cum munere pontificis maximi fuisse coniunctam, ita vt pontifex idem semper esset cum principe. Meminimus, nos supra hanc quæstionem attigisse *** ac contra hanc, quæ aperte erronea est, sententiam pugnasse. Hinc fit, vt nullo modo ad suscribendum BASNAGIO nos adduci patiamur, quamuis nec eum prorsus a vero ab errasse, censeamus. Etenim sicut negamus, principes Iudæorum semper pontifices hincque necessario ex tribu Leuitica ortos esse; ita eo magis R. DAVIDI GANZ contradicendum esse, cense-

*** vid. *cap.* IV. §. 7.

censemus, qui sine caussa praesides illos ad familiam Dauidis retulit. Praecipua sane eius sententia, omnes principes; siue synedrii praesides, ex Dauidis posteris fuisse, nullo modo comprobari potest, adeo vt miremur, celeberrimum Lubecensium theologum, IO. GOTTLOB. CARPZOVIUM * ei adsentitum esse ac talibus argumentis SELDENI coniecturam confutasse, quae quum minus certa sunt, nihil sane efficiunt, quamuis antea IO. CONR. DIETERICVS ** itidem parum ab hac sententia alienus fuerit. Iudaeorum doctores a praeside non requirunt, vt sit ex tribu Iuda; sed vt ceteris omnibus sapientia praestet, hincque saepenumero accidit, vt pontifex maximus ad hoc dignitatis fastigium perueniret, vti praeter alios recte demonstrant PETR. DAN. HVETIVS, *** ANT. BYNAEVS * & qui satis adcurate rem exposuit, HENR. VAN HEYMENBERG. ** Nobis,

* *adparat. antiqu. sacr.* p. 553.

** *antiquit. biblic. vet. test.* p. 141.

*** *demonstrat. euangelic. prop.* IX. *cap.* 4. §. 3. p. 603. sq.

* de *morte iesu christi libr.* I. *cap.*2. §. 18.

** in *de komste van de Schiloh cap.* 17. §. 12. sq.

bis, omnia circumſpicientibus, id vnum conſultum, neque ingenui hiſtorici perſona indignum videtur, rerum, quæ his occultatæ & circumfuſæ ſunt tenebris, confiteri ignorantiam. Satis enim expeditum videtur, prorſus denegata nobis eſſe hiſtoriarum monimenta, ex quibus, quid verum certumque ſit, poſſimus cognoſcere. Quamuis ergo, ſi vera fateri licet, non videamus cauſſam ſubeſſe, cur de fide R. Iudæ ſancti nimis dubitandum ſit, qui expreſſe ſe ex Beniaminitis ortum eſſe, tradidit, hancque ob rem hæc ſententia, noſtro quidem iudicio, ceteris omnibus anteferenda ſit; nihilominus eam ſupra omnem dubitationem haud poſitam eſſe, bene intelligimus ac rem relinquere incertam malumus; quam in errorem delabi. Sufficit ergo, Hillelem ſeniorem, qui centum ante initia æræ chriſtianæ annis clarus fuit, omnium conſenſu vltimum haberi patriarcharum patrem, ita vt primus ex ſua familia præſidis ſynedrii dignitatem conſequutus ſit & eam ad poſteros ſuos, per tot ſeculorum ſpatium transmiſerit.

§. V.

§. V.

Nihil superest; quam vt de patriarchis Iudæorum occidentalium nominatim agamus atque enarremus, quæ de singulis in annalium monimentis memoriæ sunt prodita. Quum breuitatem sectari, animus est, in eo potissimum collocabimus operam, vt, quantum fieri potest, narrationes scriptorum christianorum cum rabbinicis commentariis conciliemus. Cetera enim, quæ modo vere; modo falso a Iudæis de nonnullis circumferuntur, qui scire cupit, legat IAC. BASNAGIVM * & illustrem HOLBERGIVM. ** Quum quando patriarcharum munus ortum sit, paullo ante fusius exposuimus, non fieri potest, quin orationis initium ducamus a RABBAN IOCHANAN BEN SACCAI, qui omnium primus post destructum templum Iudæorum principatum gessit in academia Iafnensi. De ætate eius R. DAVID GANZ *** hæc scripsit: רבי יוחנן בן זכאי יביבו

* *histoir. des Juifs libr.* III. *cap.* I. sqq.

** *histor. Iudaic. tom.* II. p. 372. Quæ de his IO. MORINVS *exerc. bibl. libr.* II. *exerc.* 2. *cap.* 3. p. 253. sqq. narrat, caute legenda sunt.

*** *zemach Dauid f.* 24. a.

נולד בשנת תשג״ו והיה ק״ך שנה כמשה רבינו עליו השלום עד שנת תשל״ג חמש השנה אחר החרבן. *R. Ioannes filius Zechai natus est anno DCCXIII.* quippe millenarii quarti, *& vixit CXX. annis, sicut Moses magister noster, super quem sit pax; vsque ad annum DCCXXXIII. quinque ann. post excidium.* * & alibi ** testatus est, eum in locum R. Simeonis, filii Gamalielis, qui tristiori fato periit, principem factum fuisse ac impetrasse a Tito, vt synedrium Iamniam transferret. Quod aliis historicorum testimoniis comprobatur. Quamuis ipse non filius; aut nepos esset Hillelis; tamen non solum præsidis dignitate; sed etiam nomine רבן fuit ornatus. Auctor huius rei idem est R. DAVID GANZ, *** qui quum de honorifica illa adpellatione quædam monuisset, hæc addidit: ונמשך זה היחס עד רבן שמעון בר רבי וריב״ז בעבור שהיה נשיא במקום ר״ג *& subsequuta fuit hæc successio vsque ad Rabban Simeonem bar rabbi & R. Ioannem filium Zechai, propterea quod esset princeps loco R. Gamalielis.* Hunc Ioannem de futuro

* in hoc R. DAVIDIS effato vitio scribarum legi תשל״ג pro תתל״ג quisque intelligit.

** f. 27. b.

*** f. 25. a.

futuro templi excidio vaticinatum ac effatum Zachariæ prophetæ, de portis Libani, a flammis consumendis, relictum, apte esse interpretatum, talmudici scriptores * tradiderunt, vt alias huius generis sileamus narrationes, in quibus colligendis nemo diligentior fuit IO. HENR. OTHONE. ** Præter hunc de Ioanne nostro digni sunt, qui legantur: GVIL. VORSTIVS, *** IO. LIGHTFOOTVS * IO. CHRIST. WOLFIVS ** & IAC. BASNAGIVS ***

§. VI.

Postquam is de vita decessit, principis titulum ann. christ. LXXVI. consequutus est RABBAN GAMALIEL II. *Iafnensis* dictus, filius R. Simeonis & nepos R. Gamalielis senioris & pristinum honorem familiæ suæ recuperauit. Sic de eo loquitur R. ABRAH. BEN DIOR:

* *Hierosol. ioma* f. 43. *c.* 3.

** *histor. doctor. mischnicor.* p. 96. sqq.

*** *not. ad R. Dau. Ganz. chronol.* p. 279.

* *oper. posth.* p. 88.

** *biblioth. Ebr. vol.* II. p. 844.

*** *dict. loc. cap.* I. §. 9. sqq.

DIOR: * ר״גמליאל בן רשב״ג הנהרג בשמר הוא ר״אש ישיבה ונשיא אחר פטירת ריב״ז *Rabban Gamaliel, filius R. Simeonis, filii R. Gamalielis, occisi in vastatione vrbis, fuit rector & academiæ post obitum R. Iochanan ben Saccai.* IO. LIGHTFOOTVS ** monstrare, sibi sumsit, admotum eum esse muneri anno christ. LXXVI. illudque perdidisse ann. LXXVIII. vitam vero finiisse ann. LXXXII. Discedit tamen ab eo R. DAV. GANZ, *** qui initium patriarchatus eius refert ad ann. DCCCXXXIII. millenarii quarti, id est, ex computo christianorum LXXIII. Multo minus admittenda est IAC. BASNAGII * sententia, Neruæ æqualem eum fuisse. De R. Gamaliele nostro multa narrant scriptores talmudici, vix digna, quæ repetantur. Breuiter tamen liceat notare, insigniter falli HENRIC. HOVTINGIVM, ** quum ea de caussa Gamalielem impediuisse R. Akibam, quominus de nouilunio ferret sen-

* in *libr. cabbal.*

** *cit. loc.* p. 81.

*** *zemach. Dauid* f. 24. b.

* *dict. loc. cap.* III. §. 2.

** *not. in cod. talm. de princip. noui anni* p. 62.

ſententiam, *quod maioris apud ſacerdotes & populum eſſet auctoritatis*, ſcripſit; nec de *præſidis ſynedrii*, cui commiſſa erat calendarii cura, dignitate cogitauit. Legas IO. HENR. OTHONEM *** & IO CHRIST. WOLFIVM * & de R. Eleaſare ben Aſaria ſacerdote, qui in locum Gamalielis ſurrogatus fuit; ſed eodem anno mortuus eſt atque hinc inter principes haud memoratur, R. ABRAH. SACCVT, ** IO. LIGHTFOOTVM, *** IO. CHRIST. WOLFIVM. ****

§. VII.

Sequitur Gamalielis filius, RABBAN SIMEON III. cuius maximam apud Iudæos eſſe auctoritatem, talmudici ſcriptores, qui, ſi diuerſas doctorum de controuerſiis adferunt ſententias, plerumque a noſtris partibus ſtare, conſueuerunt, & R. SACCVTVS teſtantur.*

*** *hiſtor. doct. miſchn.* p. 113. ſqq.

* *biblioth. Ebr. tom.* II. p. 822.

** *iuchaſin fol.* 51. a.

*** *oper. poſt.* p. 89.

**** *cit. loc.* p. 812.

* *iuchaſ. fol.* 67. a.

R. ABRAHAM ** memoriæ prodidit, eum ope & consilio R. Ioannis ben Nuri ad supremum hoc dignitatis fastigium euectum fuisse munusque suscepisse post mortem R. Akibæ, quæ contigit, secundum R. DAV. GANZ *** ann. DCCCLXXX. siue ann. christ. CXX. sub imperio Adriani augusti. Quare non potest fieri, quin eumdem esse censeamus cum patriarcha, cuius ipse ADRIANVS iniecit mentionem. Quum esset patriarcha, potestas eius insigniter fuit confirmata atque aucta, quum ille R. Meir grauiter se opponeret atque efficeret, vt maior reuerentia præsidi; quam patri domus iudicii alterique collegæ, quem חכם *sapientem* adpellant, significaretur. Plura collegit, quem sæpius laudauimus, IO. HENR. OTHO ****

§. VIII.

Parentis dignitatem, quum ex vita migrasset, locumque obtinuit R. IVDA, qui

** *schalsch. hacabb.*

*** *f.* 29. a.

**** *dict. loc. p.* 148.

qui a ſanctitate nomen tulit ac *miſchnæ* opere illuſtrem ſibi conciliauit famam. Mittimus ea, quæ alii de principe doctorum Iudaicorum ſtudioſe expoſuerunt, ac potiſſimum de ætatis eius rationibus diſpiciamus. Vitæ initium fecit an. mundi Iudaico MMMDCCCLXXX. & chriſtiano CXX. teſtibus R. ABRAH. SACCVT * & R. ASARIA ** eamque vſque ad obitum Commodi imperatoris produxit. Hinc R. DAV. GANZ: *** ait: והיה לנשיא ולראש הישיבה עם שבעים סנהדרין באי" וזמן תחלת נשיאתו לא נודע לנו ושלשה קסרים היו בימיו קיסר אנטונינוס ואחריו מרקוס אנטונינוס ואחריו קמארוס *fuit caput academiæ & princeps ſummi LXX. aſſeſſorum ſynedrii in terra Iſraelitica. Notum autem nobis non eſt tempus, quo princeps eſſe cœpit. Trium imperatorum temporibus vixit. Antonini pii, M. Aurelii Antonini & Commodi.* Hinc ſequi, recte putat SAM. PETITVS, * vt vſque ad ann. CXCII. poſt ſalutarem virginis partum vixerit. Nec diſcrepat ab hac com-

* *iuchaſin* f. 32.

** *meor enaiim cap.* XII. p. 66.

*** *zemach Dauid* f. 30. a.

* *obſeru. libr.* III. *cap.* 3. p. 269.

putandi ratione ea, quam IVL. BARTOLOCCIVS ** ingressus est, vt intra christianos annos CLXXXIX & CXCIV. decessisse eum, censeret; nec videmus caussam, cur beatus WOLFIVS *** rem dubiam, relinquere; quam BARTOLOCCIO accedere, maluerit. Praeterea ad hunc locum spectat, quod IO. HENR. OTHO * ex talmudicis monimentis refert, tempore Iudae nostri principis tantam tamque amplam fuisse potestatem, vt R. Simeonem ben Lachisch, qui maiorum more contenderat, *principem, qui peccasset, in consessu triumuirali flagellandum esse*, prehendisset ac custodiae tradidisset; nisi fuga salutem esset consequutus. Haec eo consilio adferimus, vt quisque quantus Iudaeorum & scriptorum christianorum de patriarcharum potentia sit consensus, facile intelligat. Praeter laudatos viros, consule IO. FRANC. BVDDEVM. **

§. IX.

Quum diem supremum obiit, solus Iudaeis praefuit filius eius natu maximus

** *bibl. rabb. tom.* III. p. 29.
*** *biblioth. Ebr. tom.* II. p. 841.
* *histor. doctor. mischnic.* p. 159.
** *introd. ad histor. philos. Ebr.* p. 93.

mus RABBAN GAMALIEL III. quem pater ipſe viuus ſui voluit eſſe ſocium principatus eumque in miſchna illuſtriſſimo titulo rabban ornauit. * Talmudici ſane ſcriptores referunt, quum vltimam voluntatem ſignificaret ſenatui R. Iuda, eum inter alia expreſſe pronunciaſſe : גמליאל בני נשיא *Gamaliel, filius meus, ſit princeps.* ** Fieri eius ab EPIPHANIO mentionem æque ac eum admodum breui temporc remp. adminiſtraſſe, recte monuit SAM. PETITVS. *** Poſtremus is fuit, qui titulo *rabban* ornaretur; tamen parum apte IOANNES HENR. OTHO, * vltimum eum fuiſſe ſynedrii præſidem, tradit. Quam longo interuallo id a veritate diſtet, ex iis, quæ adiiciemus, quisque cognoſcet. Etenim poſtquam Gamaliel ex hac vita deceſſiſſet, patriarchæ munus obtinuit R. IVDA III. cuius memoriam nobis ſeruauit R. DAV. GANZ, ** his

* conf. R. ABRAH. SACCVTVS in *iuchaſin f.* 45. 46. & R. DAVID GANZ *dict. loc.* f. 31. a.

** *obſeru. libr.* III. p. 270.

*** *cethuboth. cap.* XIII. f. 103.

* *dict. loc.* p. 161.

** f. 32. b.

his vſus verbis: רבי יהודה נשיא אמוראי גם הוא היה סביב לזמן הזה והוא בן רבן גמליאל בן ר׳ יהודה הנשיא: *R. Iuda princeps, vnus ex Amoræis, etiam hic fuit circa hæc tempora. Filius hic fuit Rabban Gamalielis, nepos R. Iudæ principis.* Aequalis R. Iochanani & R. Amæi & R. Aſæi fuiſſe fertur, adeo vt ſi fides habenda Iudæis eſſet, vixerit vsque ad annum chriſti CCXCIX. conf. SAM. PETITVM. ***

§. X.

Qui in locum eius ſucceſſit, filius eius, R. HILLEL II. omnium maximam conſequutus eſt nominis famam propterea, quod auctor fuit cycli, qui vndeviginti annorum ſpatio abſoluitur, de qua re chronologiæ ſcriptores legantur. * Nos vero notamus, R. DAVID. GANZIVM ** & R. ABRAH. SACCVT *** facere eius mentionem; nec ſolum multis eum ornare laudibus; ſed

*** *dict. loc.* p. 270. ſqq.

* conſ. IAC. BASNAGIVM *hiſtoir. des Juifs libr.* III. *cap.* 3. *§.* 14. ſqq.

** f. 90. a.

*** f. 33. a.

ſed etiam priorem ætatem eius referre ad annum mundi MMMMCXVIII. id eſt, poſt virgini partum CCCLVI. ſed eum falli, recte obſeruat PETITVS * & luculenter probat, æqualem eum fuiſſe Conſtantino magno ac vitam finiuiſſe circa annum CCCXX. in qua ſententia adquieſcimus. Hic idem Hillel fuit, de quo multa ſcripſit EPIPHANIVS, quemque, litterarum leuiori diſcrepantia, *Huillum* adpellatum, ORIGENES familiarem habuit, quorum loca ſupra iam recitata ſunt. Vlterius Iudæorum hiſtorici in enarranda principum ſuorum hiſtoria non progrediuntur; debemus autem hoc aliis ſcriptoribus, vt his eos, qui ſubſequuti ſunt, addere poſſimus, exemplo auctoritateque maxime SAM. PETITI ** & IAC. BASNAGII. *** IVDAM enim III. patriarcham, quem circa ann. chriſt. CCCXXXVII. iuſtam adſequutum ætatem, muneris ſui feciſſe auſpicia, PETITVS probauit, memorat EPIPHANIVS. Poſt eum ad eumdem honoris gradum neceſſe eſt, vt peruenerit *Iulus*; ſiue

R 5 HIL-

* in *obſeruat libr.* III. p. 272. ſqq.
** *cit. loc.* p. 280. ſqq.
*** *dict. loc.* §. 19. ſqq.

HILLEL III. cuius memoriam debemus IVLIANI epiſtolæ, ſæpius iam commemoratæ, & circiter ann. CCCLXII. ſiue LXIII. ſcriptæ. Hunc ſine dubio excepit GAMALIEL IV. quem ab HIERONYMO, MARCELLO EMPIRICO & THEODOSIO Auguſto lege, anno ſeculi quinti XV. data, nominari eoque mortuo, omnem patriarcharum dignitatem fuiſſe ſublatam, ex iis, quæ ſupra diximus, ſatis patet. De hoc præter PETITVM, legas quoque IAC. GOTHOFREDVM. ****

**** *not. in cod. Theod. tom.* VI. *part.* I. p. 251.

INDEX

INDEX CAPITVM.

INDEX

INDEX RERVM.

Aurum